BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Schramm, Johann Moritz

De vita et scriptis famosi Athei Julii Caesaris Vanini tractatus singularis in quo genus, mores et studia cum ipsa morte horrende e scriptis suis rarioribus et aliis fide dignis auctoribus selecta sunt et ne cui offendiculo forent errores illius simul sunt refutati

Custrini 1709

4 Biogr. 250
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10050169-3
VD18 14824450-001

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10050169

<366126156800 11

<366126156800 11

Bayer. Staatsbibliothek

10050169

4° Rnogr. 250 Mfc.

10050169

DE

VITA ET SCRIPTIS FAMOSI ATHEI JULII CÆSARIS VANINI

TRACTATUS SINGULARIS

IN QVO

GENUS, MORES ET STUDIA

CUM IPSA MORTE HORRENDA

E SCRIPTIS SUIS RARIORIBUS

ET ALIIS FIDE DIGNIS AUCTORIBUS

SELECTA SUNT ET NE CUI OFFENDICULO FORENT

ERRORES ILLIUS

SIMUL SUNT REFUTATI

â

JOHANNE MAURITIO SCHRAMM.

CUSTRINI,
Typis & Sumptibus GODOFREDI HEINICHII, Regii Regim.
Neo-March. Typogr. MDCCIX.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

IOHANNIS MELIORATI

EPICOPI SILVANECTENSIS

OPERA

OMNIA

0050189

Caput I.

SUMMARIA.

Atheorum ſcripta §. 1. Vaninus Apoſtolus §. 2. ejus natales §. 3. ſtudia domi cœpta §. 4. in academiis continuata §. 5-9. præceptores; Cardanus §. 10-14. atheiſmi ſuſpectus §. 15-17. Pomponatius §. 18. Divinarum literarum auctoritas §. 19-21. cur ab his viris ſpreta §. 22.

§. 1.

MAgnum ſane detrimentum cepit librorum in curia perditorum aucta in dies ſingulos diſcentium literatura; ſed tantum non eſt quod amiſſis illorum ſcriptis damnum facit, qvi DEum negant, qvin vir Chriſtanus id ferre poſſit. De tribus impoſtoribus magnis impoſtor longe maximus librum qvendam exaravit, cujus tam raro inſpiciendi copia datur, ut multi eum ſupereſſe dubitent prioris loco alium ſubſtitutum exiſtimantes. Qvem cum (pace poſſeſſoris referre liceat) qvidam amicorum noctu inter rariora ejus ſcripta inveniſſet, inceſſit eum cupido ea deſcribendi ſibiqve aſſervandi qvæ in Chriſtum ejusqve miracula cavillator acerbe diſſeruerat. Poſtero die furto ſibi tam caro applaudens dum qvæ-

rit, in qva hæc exarata erant, papyrum qvidem invenit ſed literis nigrore ſuo adeo obliteratis, ut crederes ſtilum vertiſſe alium, abeunte ſcriba priore. Ergo ſpe ſua fruſtratus vir literarum cupidiſſimus dominum libri adit, narrat qvid ſit factum, eandemqve huic reddit ſibi denegatum credens ê libro tam pernicioſo qvidqvam evulgare. Ille vero ut vidit vitiatam litura chartam, libro famoſo indidit eumqve ſuo loco reſtituit.

§. 2.

Non tamen omnes ab ejusmodi auctoribus qvos habemus libros ab omni parte periculoſos experimur, præſertim qvi nomina eorundem fronte præferunt. Vanini liber eſt de Amphitheatro inſcriptus, qvi nuper in manus meas calamo licet exaratus pervenit. Poſtea vero exemplar aliqvod typis impreſſum, â viro Magnif. & Excell. Domino Doctore Pleſsmanno oblatum eſt, cujus ſub præſidio diſputationem hanc eo libentius eruditis in alma Viadrina viris examinandam volui qvo magis obſtrictam teſtarer hanc operam meam illius facilitati, qva fuit in curandis iis qvæ in hanc rem eſſe videbantur. Dici non poteſt, qvam inimicum ſe improbo huic errori ſimulaverit homo felicis ingenii utinam & meliorum partium in hac materia ſemper & ex animo fuiſſet! Non tamen fruſtra laboraverit, callide & per cuniculos ſubruere divinæ veritatis fundamenta periculoſus ille religionis hoſtis ſi nobis impoſuerit ficto defenſionis ſervore, qvod & fecit aliis nonnullis viris qvi narrationes Pontificiorum de exuſtis Hæreticis circumſpecte tractaverunt. Nam qvorum judicio toties damnata veritas eſt iis credere teſtibus, iniqvi judicis eſſe ducunt

cunt: & illius libri lectio de probatione accusatorum, mirum qvantum detrahit, qvem videntes christianam religionem multis verbis propugnantem, injuriam scriptori fieri facile inducuntur, ut statuant. Ultimus vero qvi cuilibet ambiguo omnem dubitationem eximere valet, non est in manibus omnium sed in scriniis latet selectarum bibliothecarum, dum prudenter cavent viri circumspecti ne perlectis ejusmodi scriptis aliorum faciles in declivia animi rapiantur. Hujus ergo non mihi videtur hunc librum suis latebris relinqvendum esse scrubi argumento esse possit, ad detegendam Vanini fraudem qva priorem composuit, ne majori in periculo constituantur dubitantium animi auctorem hunc fidei Christianæ nullam voluisse maculam adspergere censentes, qvam si impia ejusdem dogmata legerint: dummodo adversus ejusdem nefarios ausus firma causæ fiducia corroborentur. Neqve enim de manifestatis hujus scurræ opinionibus est qvod timeamus, dum qvilibet Christianorum cui sacræ scripturæ auctoritas infixa est, stultissimas eas nulloqve suffragio dignas facile judicaverit. Optandum qvidem foret nunqvam mortalium pectora occupasse tantam dementiam, qva creaturæ creatorem nihili ducunt, omniqve conatu in id juxta incumbendum æternis potuis tenebris insepulta jaceret abominanda insanorum sententia; sed impietate jam vulgo nota: qvippe nostris temporibus lixæ dissentire in causa hac ardua & argumentis Atheorum eandem oppugnare audet: minori damno objecta ipsorum divulgata refutabimus qvam intermissa horrebimus. His de causis hunc doctrinæ male sanæ (a) decimum qvartum prædicatorem Neapoli

in univerſam Europam exeuntem, qvem ſe faſſus eſt moriturus, ex auctoribus fide dignis deſcribemus, inſperſa breviter reſponſione ad impoſturas ejusdem ubi opus erit. Non aliter rem ipſam tractaturi ſumus; hinc qvicqvid lectori ab oculos ponitur de VITA SCRIPTISQVE VANINI actum videbit.

(a) Anteqvam Toloſæ rogo imponeretur publice coram ſupremo ſenatu faſſus eſt Neapoli ſe & tredecim alios fuiſſe emiſſos qvi per omnem Europam Atheorum doctrinam diſſeminarent ſibi autem deſignatione aut ſortitione contigiſſe Galliam in qva Lutetiis præcipue & alibi nefario iſto apoſtolatu ſtrenue functus eſt, referente Merſenno Comm: gen. p. 671-673. it. Voet. diſp. ſelect. P. I. de Atheiſmo P. 4. p. 202. 203. ubi poſt adducta Mercurii Gallici verba ſic ſcribit: *Sunt & alii, qvi ejus menimerunt: Continuatio Mercurii Gallo-Belgici & Grammontius in vita Ludovici XIII. Sed qvi mitius de illo ſentire & pronunciare videntur: uti vir eruditus plurima lectionis mihi nunc indicat; nam libri nunc ad manum non ſunt nec vacat inqvirere. Sit ergo hic Vaninus inter eruditos Atheos tanqvam aqvila aut Homerus qvis, â qvo omnes alii denominari aut ad qvem Atheiſmi omnes reduci poſſunt:* Qvibus verbis eruditos qvosdam patet in cauſa. Atheiſmi excuſare Vaninum, eundemque hujus impietatis ducem â multis recte vocari. Qvo magis ad evincendam ê ſcriptis hujus hominis veritatem amore ſtudioqve literarum inducimur.

§. 3.

Lucilius Vaninus Neapolitanus, qvi ficto Julii Cæſaris nomine vel â perſecutione (a) vel arrogantiæ ſtimulo tutus eruditis innoteſcere voluit, Johannis Baptiſtæ Vanini & Beatricis Lobez de Noqvera filius fuit. His, cum pater â Franciſco Comite Caſtrenſi comitatui qvi â Caſtro Minervæ originem ducit, præfectus eſſet, filius Tauriſani (b) in regione Apuliæ Hydruntina natus eſt, qvem ê Baptiſmo qvo

Pon-

Pontificiæ religioni initiabatur, Lucilium dici voluerunt. Iidem puerum ingenii dotes non ſpernendas præferentem literis imbuendum curarunt, qvibus tantum profecit, ut nemo omnium, qvi viderent ipſum, auſus non ſit de eo ſperare optime virumqve eruditum augurari. Erat enim ultra maturitatem annorum acris judicio, ſtudiorum amator ſedulus, ſed & vanus ſcientiæ ſuæ oſtentator, tantaqve gloriæ cupiditate ut ad perniciem ſui licet ignominioſiſſimam inde protraheretur. Qvod ut â virtute facilius perſonam induit, tanto periculoſius ducendum vitium celeriqve correptione in puero temperandum fuiſſet. Sic enim, credo, inſignem hunc Theologum fuiſſe laudaturos qvi peſſimum ex arrogantia Atheum factum execrati ſunt. Sed ad Lucilium revertimur.

[a) Nam Italia Profugus in Galliam ubi pervenerat nomen mutaſſe veriſimile eſt, nec una contentus mutatione fuit ſed parentis genus cum nomine ſpernens propoſuit ſibi ê materno poſtea cognomen aſſumere. Qvam ob cauſam id fecerit his verbis in libro de Arcanis Naturæ p. 493. deſcripſit; *Roma adeſt Theologus cui meum eſt nomen, prænomen & cognomen, itaqve laus non magis ad me tot ſtudiorum laboribus defeſſum, qvam ad illum otioſum pertinet. Reſpondet Alexander: Illuſtriſſimam matris tuæ familiam: Lopez de Noqvera: tuorum librorum inſcriptioni juxta Hiſpanum ritum addere debueras.*

(b) *Ego cum Tauriſanum patriam meam nobiliſſimam & velut in orbis annulo gemmam peterem mœſtum cornicis cantum audivi* ibid. dial. 56. p. 424.

§. 4.

Poſtqvam hic ad modum adoleſcentulus rudimenta Latinarum literarum ſub præceptoribus domeſticis poſuerat, in primis Ariſtotelicæ Philoſophiæ

placita avide hauſit, qvibus etiam ſic eruditus eſt ut non modo in diſciplina firmandæ rationi inſerviente ſed ſubliniori ea hujus Philoſophi, de Deo rebusqve cœleſtibus juxta ac terrenis agente cuiqve facile doctiſſimus haberetur. Placuit animo juvenili transcendens ſimplicitatem Sacerdotum ſuorum gentilis eruditio qvippe fraudibus adaucta vulgi credulitate cuivis ſapientiori divino verbo morumqve ſanctitate nudata fides patebat. Igitur accidit huic qvæ multis calamitas Italis Machiavello Cardano, Pomponatio aliisqve Catholicæ doctrinæ ſectatoribus ut vel parum vel nihil divinæ veritatis credere qvam in veritate male defenſa multa ſimul falſa & cum ratione pugnantia recipere voluerint, dum curiæ Pontificis adverſaria religio vera, ut ſi Hæretica eſſet, ad gentes Romanis qvondam inimicas ſubjectasqve proſcriberetur. Atqve adeo non abs re eſt qvod notat Verulamius inter cauſas Atheiſmi eſſe ſcandala ſacerdotum verumqve eſſe qvod Bernhardus innuit: *Non eſt jam dicere, ut populus ſic ſacerdos; qvia nec ſic populus ut ſacerdos.* (a)

[a) Serm. Fid. §. 16. p. 1166.

§. 5.

Itaqve domi in his ſtudiis exercitatus parentis juſſu Neapolim ivit ad ea continuanda qvibus animus in elegantiſſimam hanc urbem Reginamqve patriæ ſua ad Parthenopæos Studioſos pergere nitebatur. Qvippe ſtupendis tot ingeniis gravida mater gemellas poſtea peperit Academias (a) qvæ novas huic Sireni (b) Gratias non degeneres in hunc usqve diem inducunt filiæ. Lucilius Philoſophiæ ſtudium ibi florere videns, omni conatu incubuit ad Phyſicam, cui

cui maxima Profeſſorum opera dabatur, idqve adeo fecit ut præcepta plenius ex ore illorum caperet qvi junxerant experimenta doctrinæ. Unde terminum Phyſicorum ab initio Medicinæ fixum ſentiens â qva ad perfectiorem arcanorum naturalium notitiam pertingimus, magna animi voluptate ad hanc qvoqve ſcientiam alliciebatur. In qva qvidem ſic verſatus eſt, ut qvi phyſica ejus ſcripta legerint haud difficulter teſtaturi ſint non plane nullum in naturæ ſcientia pariter ac Medicina fuiſſe.

(a) Naples a deux Academies, de beaux eſprits: Gl' Ardenti & Gl' Otioſi: Morer. diction. Hiſtoriqv.

(b) Parthenopææ nomen antiqvitus obtinuit ab una Sirenum Parthenope. Hinc Silius Italicus l. 12.

Sirenum dedit una ſuum memorabile nomen
Parthenope muris Acheloias, æqvore cujus
Regnavere diu cantus cum dulce per undas
Exitium miſeris caneret non proſpera nautis.

§. 6.

Præterea nec averſatus fuit ambitioſus homo divinarum rerum ſcientiam, ad qvam primum incubuiſſe dicit, qvin ad ſummum in ea gradum honoris inſuper adſpiraret ſtatu Clericorum multis magnisqve dignitatibus inter Pontificios ſupereminente. Qvæ, ut Philoſopho, ſtudia, perfacile erat, multis non ſine ingenii laude finitis diſputationibus arripere; ſic non tam iis qvæ ad vitam pie ducendam moresqve fingendos (moralia vocant) laudabili conatu multi Pontificiorum ſcripſerunt (a) ſed qvæ refutandis Hæreticis apta eſſent, opima ſibi ſpolia obventura perſvadebat. Qvippe nôrat ſpe ſua non fruſtratos qvi veſtigia legerant perſeqventium Romanæ

manæ fidei inimicos. Hinc qvo difficilior ipſi cum Atheis pugna eò majori ſibi gloriæ eandem fore duxit. (b)

(a) Unicus liber eſt de contemnenda gloria ſcriptus ita tamen ut ibidem Athei refutentur.

(b] Hoc elucet ex præfatione Amphitheatro præfixa, ubi qveſtus de ſterili ingeniorum ſegete Atheos refutantium ita pergit: *Multa aqvinas in opuſculo contra gentes eruditiſſime, ut omnes fatentur, ſcripſit, nec ego inficias ivero, qvando ſummus olim ille Romanæ Eccleſiæ Antiſtes Divinæ voluntatis interpres & Doctor omnium gentium Johannes XXII. in illius Divi conſecratione plenus Deo hæc verba protulit: Tot miracula fecit qvot qvæſtiones determinavit: nec unicam tamen ille propoſuit nedum reſolvit Atheorum rationem.* Sed contrarium apparet ex ſcriptis Thomæ l. 1. Sent. Lombard. diſt. 3. Neqve propoſuit ſibi Thomas cum Atheis ſingulari certamine congredi.

§. 7.

Hanc ob cauſam orationibus qvoqve ſacris inclaruit præceptorem nactus Bartholomæum Argotum ordine Carmelitam, qvem virum in concionibus ſui ſeculi phœnicem vocat Lucilius. (a) Easqve non ut cœteri ſolebant fabellis anilibus refertas ſed multiplici divinarum rerum doctrina elaboratas declamavit. At ſi vitium ſacro oratori fabellis fidem probare, non eſt prudentiæ Chriſtianæ magnis multisqve ſubtilitatibus populo ſe magis oſtentare qvam eum pie inſtruere. Qvod de Vanino dixerim, cum ipſe de ſe *olim*, dicat, *concionando hanc qvæſtionem reſolvi, cur homo â Deo fuiſſet creatus, ut nempe aliqvid eſſet, qvod interceſſione ſua ſummis ima coapteret.* Eandem qvoqve ſententiam ſeqventibus ſtatim ita firmavit: *Materia prima ſecundum Averroiſtas ſola potentia, actus purus ſolus Deus, prope Deum ſubſtantiæ imma-*

immateriales, prope materiam formà corporeitatis. Inter hæc animæ brutæ duæ, vegetans & ſentiens & ſuper has potior intellectus minor intelligentiis: & enim in materia exiſtens immaterialis, ſed â materia ſeparabilis ſeparatus per eſſentiam, non ſeparatus propter informationem. (b) Nam ideo hominem creatum eſſe ut reliqvis imperaret animantibus negat Lucilius cujus ſententiam uberius exponemus cum de ſcriptis ejus acturi fuerimus.

(a) Dial. 30. p. 205. (b) ib. l. 4. p. 234.

§. 8

Sic Lucilio per laudabilia futuræ gloriæ exercitia ad ſuma penetranti non niſi juris peritia deerat ut ê trina facultate (qvod dicitur) perfectus creari Doctor poſſet. Qvod ut vidit anxio pectore eo adſpiravit ut & hac animum imbueret. Qvare Pontificialibus decretis, qvorum jam non levis cognitio erat, Juris civilis Inſtitutiones Cæſareasqve leges addidit (a) Hic cum jureconſultos auxilio faciles expertus eſſet in his rebus qvæ indigentia ejus videretur expoſcere, omni eruditione qvam patria ſubminiſtraverat, abunde inſtructus, aliam qvæſivit Academiam in qva hauſta domi præcepta pluribus ſeqve eo magis in omni ſcientiarum genere perficeret, eamqve invenit Patavinam.

(a) LL. ſtudia qvoqve ſectatum fuiſſe citatis ſubinde juris conſultorum placitis elucet. vid. de Arcan. Nat. p. 286. & alibi paſſim.

§. 9.

Tanta hæc urbs iſtum dulcedine cepit ſtudiorum ut alio prius ſe conferre noluerit (a) licet abſolviſſe ſibi videretur qvæ viro omni diſciplinarum

genere ornatiſſimo convenire ſolent; qvam indefeſſa literarum indagatione fundum opinione ſua inflatu, tangeret in vaſto illo Patavinæ æqvore eruditionis. Nam utut ea deliciarum plena in fertili ſolo civitas juveniles animos facile tenet, non tamen eas ſectatus eſt Lucilius, omnem argenti vim, non veſtibus non corpori curandis, ſed victu atqve amictu parciſſimus ingenio adaptando impendit, duriſſimus literarum ſolertiſſimusqve indagator, ſicubi fama ingloriam exſtimularetur. (b)

(a) Sic enim conſtituerat ut *jurisprudentiæ ac Theologiæ ſtudiis in Parthenopæo ac Patavino circo decurſis reliqva fere omnia literarum exercitationum per totum Europeum orbem erecta theatra, amphitheatra, circosqve* duceret freqventandos conf: præf: Amphith.

(b) *Hinc gloriatur ſeqventia: Amanti omnia calida. Nonne Patavii parvula contenti togula, hyberna frigora perfregimus? Tantus mihi erat addiſcendi ardor.* Vanin. l. de adm. Nat. p. 351.

§. 10.

Sed inter ſcripta alia qvæ ſtudioſe perlegit præ cæteris Cardanus ipſi placuit (a) qvem tamen Lucilius Atheum fatetur ac id qvidem inter alia multa etiam ob indagatam Salvatoris noſtri genituram, cujus natalem diem non ultra naturæ leges ſed naturali ſyderum poſitu miraculoſam illuxiſſe, vitamqve pariter ac mortem eodemqve modo religionem Chriſtianam ortam eſſe atqve duraturam portentoſi homo ingenii vcluit. Hanc ipſi opinionem Vaninus exprobrat, tota convitiorum plauſtra in eum exonerans ut cauſam Chriſtianorum adverſus Atheos egiſſe videatur. (b) Nimirum in commentariis qvi Ptolomæi

Pelu-

Peluſienſis libris qvatuor, de aſtrorum judiciis annexi ſunt, libro ſecundo (c) hæc ſcribit Cardanus: *Exemplum maximum eſt geneſis Domini noſtri JESU Chriſti in qva tot videbis & tanta mirabilia, ut judices, etſi naturalibus rationibus ſolum in ſiſtendum eſſet, Chriſti nativitatem fuiſſe admirabilem, naturam qve ille tribuiſſe qvantum concurſu omnium cœlorum excogitari poterat & naturaliter legem noſtram eſſe, legem pietatis, juſtitiæ, fidei, ſimplicitatis, charitatis optimeqve inſtitutam: nullamqve habituram finem niſi poſt reditum eclipticarum, in qvo fiet novus ſtatus univerſi. Nec tamen me velle credas dicere* (at id non perſvadet Lucilio nec aliis) *qvod vel divinitas in Chriſto vel miracula ejus vel vitæ ſanctitas vel legis promulgatio ab aſtris pendeat. Sed ſicut natura illum ornavit optime temperamento, pulcritudine corporis ſic etiam DEus optimus & glorioſus optima conſtitutione aſtrorum atqve admirabili geneſin illius adornavit. Qvod ſi fruſtra eſſe talem conſtitutionem voluiſſet, duorum alterum contigiſſet: aut ut non omnino tam conſtanter diem & horam nativitatis illius eccleſia obſervaret, imo & horæ momentum: & ut hæc omnia per tot ſecula innoteſcerent adeo diligenter: vel non adeo omnia fuiſſent in illius genitura ſingularia, magnifica, glorioſa & tanto concurſu digna: tum vero omnibus qvæ ſucceſſerunt de vitæ ſanctitate, de morum gravitate, de ſapientia, de perſecutione, de lege optima promulganda de morte denique ac mortis tempore adeo congruentia ut nil exactius poſſet excogitari. Hac igitur Fiducia, qvod Divina mens velit alicujus propoſiti cauſa hanc tantam rem evulgandam (qvam jam viginti annis atqve amplius cum ſtruxiſſem, non ausus*

ſum ob religionem edere) *duxi.* Prolixiora Cardani verba ideo adduximus qvia præſertim ob ultima apud viros doctos in ſuſpicioncm Atheismi pervenit.

(a) Cardanus vir ſapientiſſimus eſt, nec valde credulus ſuperſtitionibus ſcribit Vaninus lib. de Nat. Dea. p. 203. 204.

(b) in Amphith. Exercit. 7. & 8.

[c] p. mihi 369. edit. Lugdun. anno 1555. edita.

§. II.

Ex qvibus qvidem facile judicatu eſt non omnia tribuiſſe aſtris qvæ circa miraculoſam Chriſti naturalem conſideranda ſunt, qvippe exceptione adjecta id extra dubitationis aliam poſitum eſt. Imo clarius mentem explicuiſſe viſus eſt his verbis: *Sed ut fameſcere, ſitire, laſſari, dolere propter plagas, mori ob reſolutionem caloris naturalis: ita etiam ob Saturni & veneris dominium maculoſum naſci & qvæcunqve alia ut cæteri homines perpeti naturaliter contigit: præter hoc unum qvod eſt: ex virgine naſci.* (a) Sed aſſignaſſe plura qvam per fidem ipſi Chriſtianam licuerit, ex hoc qvoqve apparet, qvod reſponſa Chriſti mirabilia dum in hoc degeret ſeculo viſibilis, horum concurſui attribuerit, qvod verba innuunt ſeqventia: *Mercurius ibi qvoqve præſens & cum ſole & adſcendens reſpiciens ingenium & dexteritatem maximam ac ſolertiam in rebus agendis declaravit. Adeo ut Evangelium referat, turbas in reſponſis ejus mirari ſolitas, qvæ conſtat non â Divina Sapientia* (*qve nollo tali indiget auxilio*) *ſed humana profecta eſſe* (b.) Nam qvæ populus reſponſa CHriſti mirabatur non ſunt hæc ex aſtris ei conceſſa nec humanæ naturæ ſolum ſed Diviæ ſimul erant, qvippe qvæ ſine omniſcientia Divina plurima

plurima dari non poterant ut infra probabimus de re-
ſponſione Chriſti data Phariſæis tentantibus acturi.
Non ſane egebat Chriſtus auxilio admirationis noſtræ
ut DEUS eſſet ſed nos egebamus documentis ipſius
admirandis ut ſalutis noſtræ cauſa crederemus qvod
is homo Deus noſter eſſet. Rebus minimis qvibus De-
us ad manifeſtandam gloriam ſui utitur non eget, cum
poſſit alio modo & maximis agere; qvo magis falſa
proditur poſitio Divinam naturam ea non feciſſe cum
admiratione populi non indiguerit. Cujus enim rei
Deus auxilio non indiget ex illo male infertur liberæ
electionis ad miniſterium iſtud abſoluta negatio. Non
indigebat Deus Moſe ad imperandum Pharaoni miſ-
ſionem populi ſui, at non inde ſeqvitur Moſen hinc
ſolum ſuo ex arbitrio Regi Ægyptiorum mandatum
tuliſſe.

(a] ibid: p. 374. (b] p. 373.

§. 12.

Qvodſi vero qvisqvam ſibi voluerit decem ra-
riſſima illa qvæ produxit perſpicue, induci, monſtra
pulcerrimæ ſuæ ſcientiæ aſtrologicæ, rem ita habeat.
*Primum inqvit, eſt conjunctio ipſa capitum Libræ
octavi & noni orbis, tam in ſectione ecliptica cum
æqvinoctii circulo, qvam etiam qvod caput Arietis
parvi circuli, octavæ ſphæræ in una eſſet longitudine
cum capite Arietis qvod eſt centrum parvi circuli
ipſius nonæ præſens, non dico qvæ præfuerit (nam
Chriſti tempore ad ungvem celebrata fuit) hæc au-
tem ut demonſtratum eſt primum, illuſtriſſima eſt
concurſu tot ſtellarum clariſſimarum octavi orbis &
effectum ſuum in annos triginta ſex mille, ut ſuperius
docuimus, ad minus extendit,* (a) Ita namqve conſu-

luit optime rebus ſuis Cardanus dum tantam, ſed ſine probatione, vim ſyderibus operandi adſcripſit qvæ extendi ad ſexies mille annos & (ne cura numerandi deficeret) triginta inſuper poſſet; ne ſi brevius Chriſtianæ fidei duraturæ tempus adſcripſiſſet cum illis ſimul Prophetis qvi mundi finem elapſo ſeculo decimo ſexto prædixerunt, deriſui eſſet mundo ſuperſtiti. Nam meritis hiſce Cardani ſatis eſt, niſi nimium eſt, honorem veritatis ſexies mille annos tribuiſſe. *Secundum eſt Cometes ipſius fulgentiſſimi præſentia qvæ conturbationem in toto orbe & nomen clariſſimum declarabat. Tertium erat jupiter qvi ſvavitatem morum & probitatem & manſvetudinem cum eloqventia & ſapientia maxima declarabat. Ita factum eſt cum in adſcendente eſſet, ut anno duodecimo in templo diſputaverit. Jupiter enim ibi ante tempus dat ſapientiam. Jam ne antea procedamus, jupiter præſtabat gratiam & eloqventiam & ſvavitatem morum: hanc cometes per omnes populos velut fulgur repente divulgabat: ſuprema vero conjunctio in animis hominum ita ſtabiliebat ut neqve per turpiſſimam mortem qvæ contingit, neqve per edicta Principum memoria ejus qvi illum cognoverant, poſſet evelli.* (b) Satis hic modeſte declarandi modum aut indicandi ſyderibus adſcribit, modo non dandi potentiam jovi addidiſſet. Liceat enim omittamus, virtutes influendi in eas res, qvæ humana induſtria comparantur imbecilli fulcro niti probationis, cum aſtra in animæ noſtræ naturam vel ſecundum perfectiorem vel imperfectiorem habitudinem minimam habere vim operandi nullo argumento ſit adhuc demonſtratum. Si qvid etiam habent virtutis ſtellæ, qvod num habeant æqve incertum, in corpora

naſci-

naſcitura ad effingenda qvorundam aptiora ſapientiæ, eloqventiæ & morum ſvavitati membra tanqvam inſtrumenta qvibus virtutes animæ ſeſe facilius exererent; non tamen eo audaciæ proceſſerit facile Aſtrologus qvidam Chriſtianus ut hæc omnia citra humanæ doctrinæ omnem induſtriam ſolo jovis impetu perfecta eſſet diceret. At Chriſtus nusqvam in ſcholis magnorum Eccleſiæ Doctorum, qvæ tanqvam ſocia cauſa ab iis reqviruntur, nec cum eruditis viris fuerat verſatus, nusqvam ſecretio ribus judaïcæ religionis præceptis imbutus erat; neqve eo ſecius, id qvod ſapientes cum vulgo mirati ſunt, de abditiſſimis fidei myſteriis cum eruditiſſimis diſputabat. (c) Suprema qvoqve planetarum conjunctio cum nec impedire potuerit ut præter diſcipulos omnes fere Chriſtum florentem miraculis deſererent, (d) qvi qvæſo impedire potuiſſet qvo minus turpiſſima ejus morte afflictum deſererent. Vix tum duocedim omnino erant & ii qvidem luctantes cum deſperatione promiſſæ reſurrectionis neqve hi adducti ſunt ſtellarum operatione ne deficerent, ſed gratia Spiritus Sancti & apparitione Domini noſtri viſibili perſvaſi ſunt ut, qvod ſapientes cum ſtultis ridebant, hominem ſimul Deum eſſe mortuumqve ſua virtute reſurrexiſſe firmiter crederent.

(a) lib. cit. p. 171. (b) ibid. (c) omnes enim mirabantur adeoqve & ſapientiſſimi qvi nôrant qvid poſſet naturalis aliqva felicis ingenii ſagacitas & qvid ultra eandem eſſet Luc. 2. v. 42. Hoc autem ex aſtris adeptum eſſe Chriſtum non dicere ſed probare ſimul debuiſſet Cardanus.

§. 13.

Qvartum, pergit Italus, *fuit ſpica Virginis ſtel-*

Mar-

la magnitudinis primæ & naturæ Veneris, ac parum Martis, qvæ antè aſcendens fuit partibus ſolum tribus, tum ob par. 2. Auſtralis latitudinis, tum qvia verum æqvinoctii punctum aſcendebat, ideo eloqventiam & gratiam apud gentes præſtabat, naturalemqve futurorum cognitionem. Licet enim altius Divina reſideret, attamen qvod ſupra humanitatem ſapientiæ eſt in humanis ex Veneris fulgentiſſimo ſydere, ſtellisque ex ejus natura clarioribus habetur. Qvintum erat punctus autumnalis æqvinoctii. Nam, ut dixi, paululum vel momento temporis ante noctis medium natus eſt, qvod etiam ex directione lunæ ad accidentis angulum dignoſcitur. Itaqve ob id neceſſe fuit tropicum æſtivum eſſe in cœli medio, atqve ab id Ptolomæo teſte ad legem promulgandam aptiſſimum. Ibi etiam erat inſignis ſtella, Hercules vocata, magnitudinis ſecundæ, naturæ Martis, qvæ tot nobiles morti fortiſſime objiciendos declarabat: tot martyres egregios, tot ordines militum Johannis, Jacobi, Michaëlis, Petri, Pauliqve Teutonicorum, Enſiferorum aliorumqve. Ex occaſu vero unum, ſcilicet magna conjunctio, qvæ in Arietis tertia parte anno ante Servatoris nativitatem ſexto celebrata eſt, cum primum Saturnus ac Jupiter in trigono cancri jungerentur. Eaqve juxta Arietis capita utriusqve ſphæræ, qvæ ad ungvem ut dixi in angulo fuerant occidentis. Hoc igitur octavum eſt inſigne hujus geneſis qvo decernebatur mors publica atqve famoſa ob capitum Arietum conjunctionem, Principumqve mandato & ob populi ſeditionem propter Saturni, jovisqve conjunctionem. Significabat & â morte promulgandum legem, qvia capitum Arietum conjunctio erat in ipſa occidentis linea. Duo alia erant inſignia ex cœlo imo: Solis præſentia indicans

mortem

mortem præclaram & â morte nomen clarissimum: Mercurius qvoqve ibi præsens & cum sole & adscendens respiciens ingenium & dexteritatem maximam ac solertiam in rebus agendis declaravit. Adeo ut Evangelium referat turbas in responsis ejus mirari solitas qvæ constat, non â divina sapientia (qvæ nullo tali indiget auxilio) sed humana profecta esse. Atque hæc illa sunt decem singularia atqve rarissima hujus genituræ: qvorum concursu pene divino, effigies qvædam tam mirabilium operum, qvæ ab æterna serie constituta erant, præmonstrata est: (a) Post hæc consentientia addit Cardanus qvæ ibidem legi possunt, ut Herodis sævitiam, populi seditionem clamoremqve hunc: crucifige, crucifige: Christi severitatem sine risu, faciem lentiginosam qvam ex relatione Josephi fuisse scribit Cardanus, hæc omnia signa cœlitum temporis portendisse vult addens: *Qvod si â Deo omnia fuissent profecta, qvorsum erat lentiginosum crearí? absoluta enim sunt omnia, qvæ â Deo proficiscuntur.* Qvæ cum pluribus aliis ibidem qvi cupit legere ad ipsum Auctorem cujus non raro inspiciendi copia datur, evolvendum se conferat. Omnia si qvidem non est animus exscribere qvæ ad tractationem nostræ historiæ non sunt necessaria. Hæc ideo notavimus ut constaret in qvo potissimum dissenserit Vaninus â Cardano qvem alias in multis ductorem sedulus lector secutus est.

(a) ib. p. 373.

§. 14.

Ne vero prætermittamus qvod opponi â Cardano possit, generalem ad progenerandum hominem stellarum concursum non negamus sed earundem illapsum atqve effectum rerum singularem qvæ ex libertate Divina & humana pendent ut sunt legem ferre, latamqve tot præcise tempora perdurare, morti sponte se subjicere, cum nemo unqvam

probare potuerit, nihil eſt qvod credamus adeoqve nec conjecturis fallaciſſimis concurſu planetarum ortis fidē ullam habeamus. Ac proinde non ſine delectatione legitur qvam ſtrenue eundem Vaninus iisdem principiis refutare nôrit, ipſe Aſtrologiæ judiciariæ ſtudioſus. Illud qvoqve ſatis ridiculum eſt qvod Cardanus in ſpeciem veritatis inducit argumentum, dum fameſcere, ſitire, laſſari & alias Chriſti paſſiones utiqve miracula divina non eſſe, dicit. Nam prius id probatum dare debuiſſet num ſit ex operatione Saturni hominem eſurire, ſitire, laſſari: poſt id factum ſimul demonſtrare an ſit ex effectu hujus ſtellæ hominem qvi poteſt habere cibum, potum qvietem, iis tamen ſponte ſe abſtinet, ejus demqve voluntatem ita vi ſua diſponere ut eſurire, laſſari, & pati velit: Nam Chriſtus hæc omnia ſponte ſua paſſus eſt, cum potuiſſet egeſtati ſe ſubtrahere. Absqve hoc ſi fuerit puerilis hæc inde reſultabit prædictio Aſtrologi: Aſtrorum indicio Chriſtus eſuriet, qvamdiu nempe is ipſe voluerit; ſitiet, ſtellæ indicant, ſed ſi potu abſtinuerit: patietur ſi placuerit. Hoc ſane prophetiæ Zingarorum convenit qvi ſatis diu, inqviunt, ſi vixeris, ſatis qvoqve conſenueris. Qvæ duo reſtant fundamenta: *aut Eccleſiam diem horamqve Chriſti natalem non diligenter obſervaſſe aut non omnia in Chriſti genitura a tanto concurſu ſyderum digna tam glorioſa tamqve magnificafore:* qvæqve ſingula dicto loco cauſatur Cardanus ruinam non iſta fortiter ſuffulciunt. De tempore nati Chriſti incerta ſunt omnia: annus, menſis, dies hora, agnoſcentibus iſtud paſſim Chronologis. adeoqve ſtructa Mathematicorum geneſis incerta. Imo ſi certo nobis conſtaret de omnibus, idemqve concurſus qvem Cardanus contexuit, certe fuiſſet, unde probabitur ex ſtellarum earundem illapſu ſapientiam, potentiam, vitam mortem Chriſto obveniſſe ſeu modo ſingulari has in Salvatorem influxiſſe. De incerto

certo menſe atqve die Joachimus Hildebrandus Helmſtadienſium Doctor celeberrimus hæc ſcribit: (a) *Qvo autem die feſtum nativitatis Chriſti agi debeat, apud veteres non eſt omnino certum. Refert enim Caſſianus in proœmio ad Theophilum, Ægyptios hæc tria feſta, Epiphaniam, Nativitatem Domini, Baptiſmum Chriſto uno eodemqve die egiſſe. Qvod & de Chriſtianis in Armenia Hugo commemorat, in C. 1. Matth. Apud nos conſvetudo antiqviſima agendi feſtum natale IIX. Kal. Jan. perſeverat, qvod non minus antiqva traditio ſit Chriſtum VIII. Kal. Jan. natum fuiſſe, qvæ opinio jam Auguſtini ævo recepta fuit: Auguſt. l. 4. de Trinit. Qvicqvid autem de eo ſit, hodierni chronologi qvorum agmen ducit Scaliger de Emend. temp. evidenti ratione oſtendunt Chriſtum ineunte januario concepum & circa confinia menſium Septemb. & Octob. in lucem editum fuiſſe, qvando apud judæos feſtum erat tabernaculorum. - Qvoto autem die vel qvota noctis hora natus ſit Chriſtus præciſe non conſtat.* Concurſum eum ſtellarum tam glorioſum tanta convenientia vitæ Chriſti reſpondentẽ fingit Cardanus dum Chriſti vitam ex Evangeliſtarũ enarratione cognitam habet, qvo modo facile eſt multa præclara ex hominum geneſi prædicere omniaqve ſtellis implicare qvaſi ex adſcenſu hujus vel deſcenſu illius ſigni iſte effectus neceſſario ſeqvi debuiſſet, qvia omnino idem eventu perfectus eſt utut ignores ab eadem cauſa productum eſſe. Qvippe ſola hic vaticinantis ſeveritas qvam vultu præfert, hæc ipſa nobis rem firmiter perſvadebit, ſcilicet. Et profecto nonfacilis ſolũ iſta divinandi ratio eſt ſed in ruborem dat non nunqvam ejusmodi homines qvi prius de vita ejus certiores reddi volunt, cui futura prædicunt qvam domos ſuas cœleſtes exſtruant. Et iſtum eo momento ſyderum influxum qvî probabit ſoli Chriſto obtigiſſe, cum eodem tempore plures in judæa tota vel orbe toto nati ſint pueri

puellæqvé cur nec de aliis eadem prædicare, qvæ de Christo, Cardanus prædicere potuit? Aut cur ille concursus, qvo nascitur puer attenditur, non ille qvo primum conceptus est? Num accurate tum temporis hora sciri potuit ut ne momento qvidem erratum sit? Sæpe nos clepsydræ fallunt & alii horarum indices.

[a) Libello de diebus festis: p. 20. §. 3. Eadem confirmat. D. Ursinus in Programm. de natalitiis Christi Anno 1641. edito ubi, *non minor, scribit*, de mense & die (qvam de anno nativitatis Christi, qvæ recensita ibidem fuit) pugna; qvem Epiphanius V. Januarii alii cum Ægyptiis Græcis & Syris VI. ejusdem mensis diem, alii XX. Maji Clemente Alexandrino teste, alii finem mensis Septembris cum Beroaldo, Josepho Scaligero & Setho Calvisio, pleriqve 25. Decembris assignarunt, qvod tamen circa Constantini M. tempora demum cepisse, qvem ante, Natalitiorum festum, certo die ab universa Ecclesia celebratum fuisse liquido non constat in Chrysostomi in hoc festum, Constantinopoli habita oratione, non obscura extant vestigia.

§. 15.

Si dicendum qvod res est non qvidem hoc facto directe qvidqvam contra Deum statuere videtur Italus. Sunt tamen & alia qvæ adducit Vaninus propiora suspicioni qvorum non leve est qvod ex libro Cardani (a) citavit verbis qvidem aliqvantum immutatis. Nos sua ipsius dabimus qvæ ita protulit: *Cum alter* (scil. Empedocles) *ad comparandam gloriam in Ætnæ flammas sponte se conjecerit: eo consilio ut vel latens tanqvam DEus in cœlum assumtus, VELUT DE HELIA FERUNT, coleretur vel etiam deprehẽsus opinionem imo admirationem sui ob fortitudinem hominibus relinqveret.* Qvæ verba licet aliorum de Elia opinionem proferre videantur, Cardani tamen ipsius consensionem suspicari qvispiam posset imo Vaninus suspicatur, nec frustra, cum multa Atheismo convenientia passim scriptis suis insperserit. Imprimis & istud in eo Vaninus carpsit insolentiæ qvod de di-

vinis

vinis legibus multum detraxerit, humanis easdem liberiori, qvam par eſt, jucicio non nunqvam poſtponens. Qvod & fecit hæc ipſa ſcribendo verba: *Rideamus merito Lycurgum qvod inſtituit â ſene viro poſſe uxorem juveni qvem maxime probaret ſubſtitui ad propagandum genus, ut qvi naſcatur pro mariti filio habeatur. At Moſes juſſit ut, cum primus frater mortuus eſſet proximus illi relictam uxorem duceret, procreatiqve filii prioris fratris haberentur. Igitur inter Moſen & Lycurgum ſatis convenit, verum ut Moſis modeſtior modus cum â funere præcipiat fratris: ſic Lycurgi irreprehenſibilior qvod ſangvinem duorum fratrum in una muliere non cõmiſceat: qvem morem ſatis Cornelius Tacitus gentibus exprobrat inviſosqve illos merito omnibus dicit qvi non ſecus ac canes & feræ non â cognatis cavent ſed promiſcue miſcentur.* (a) Nobis jam non eſt animus impiam de Elia opinionem refutare cum in ſeqventibus iterum occurrat, probata Scripturæ Sacræ divinitate illius refellendæ commodior locus erit. Verum qvod de ducenda fratris uxore legem non minus ſine vitio ac Lycurgi putaverit de ea re nunc dictu opus eſt. Non enim poteſt homini Chriſtiano modus iſte irreprehenſus minus eſſe qvam Lycurgi qvo in judæis fratre mortuo frater glorem duxit. Siqvidem fraterni ſangvinis miſtura ſecundum actum generandi phyſicum ſpectatur tantum iſta bonitatis capit qvantum conjunctio viri alieniſſimi. Qvodcunqve malitiæ vel probitatis in ea deprehenditur ab ipſius voluntatis ſanctitate eſt qva eadem lex inſtituta aſſeritur. Sed Deus in ipſo mundi exordio voluit, primo mortalium ſuam carnem concedi, qvo ſi qvid ſanctius inveniri potuiſſet, tum temporis utiqve præcipi vel fieri â Deo ſanctiſſimo debuiſſet, cum ibi omnia in ſumma rerum perfectione conſiſterent. Idem poſtea humano generi in virorum fœminarumqve multitudinem procreſcenti

ri certis consangvinitatis & affinitatis gradibus interdixit.(c) Neqve id fecit ultra omnem humanæ rationis indaginem, cum humanæ vitæ sanctitas qvam observant inter se, liberi, inde fulciatur, linea adscendens & descendens eo majori sit religioni & immatura libido humanæ vitæ inimica inhibeatur. Hac autem lege (de fratris uxore non ducenda) excepit Deus, certa tamen conditione populum suum, ne respublica judæorum alterius in alteram familiam hæreditate delata turbaretur, ne sine prole vidua esset, qvod in ista gente ab infamia proximum erat, ne multiplicandæ gentis Israëliticæ promissio corruere videretur: ne ullius in hac gente fiducia nascituri Messiæ ê defectu prolis minueretur: nec ansam deniqve haberet vidua deficientibus procis ad cultores idolorum, prolis avida, se recipere. Imo si nulla nobis ratio supereſſet cur hoc factum diceremus, sufficeret Deo placuisse judæos ejus legis interdicto qvo utiqve alii tenentur populi sanctissime eximere. Qvid vero reprehensionis humanæ incurrere Deus jure potest in his rebus qvæ hoc latore legis summo ejusqve interdictione seu concessione solam sibi culpam seu innocentiam trahunt? Lycurgi vero modus varia continet crimina: Lenocinium ipsius mariti, adulteria coeuntium, qvorum facinore incerta proles ac per eam horrenda confusio officiorum ac Jurium qvæ inter parentes & liberos provida natura constituit, humano generi inducitur: Si hoc aversum animum â cultu sanctissimarum legem non innuit supinam certe ignorantiam arguit hujus viri. Non possum qvin doctissimi qvoqve Voëtii sententiam huc referam qvi hunc scribit admodum *suspectum scelere Magiæ fuisse, imo ab exercitio ejus non alienum.* Interim tamen num Atheus fuerit nec ne, in medio reliqvit ille. *Monet autem juniores ut erudita ejus scripta cum judicio perlegant & Mathematica*

tantum

tantum ac Phyſica particularia ab illo diſcant. In divinis enim inqvit & ſpiritualibus loqvitur ut ἄπειρος, & ſcripturarum & internæ ac ſpiritualis praxios, omnis denique ſolidæ Theologiæ, ipſius ſcholaſticæ ac Metaphyſicæ. (d)

(a) de ſapientia fol. 56. (b) ibid. fol. 153. (c) cujus rei veſtigia apparent Lev. XIIX, 24 25. [d] Vo et. diſp. ſelect. P. I. diſp. de Atheiſmo.

§. 16.

Idem qvoqve immortalitatem animæ ſcripto libro aliis perſvadere dum vult, non putat iſtius rei veritatem ad bene beateqve vivendum conducere, qvi qvid animi ſcribens habuiſſe putandus ſit ê verbis ſubſeqventibus patebit. *Nunc demum videamus an forſan ad bene beateqve vivendum animæ immortalitatem credere plurimum conferat, atqve ut video nec in hoc utilis eſt opinio: qvinimo ut apud Ciceronem Laërtiumqve Diogenem multo ſanctius jura, fidem ac pietatem colebant Epicurei inter homines qvam Stoici vel Platonici: atqve hujus cauſam fuiſſe reor qvod, ut Galenus docebat homo fit conſvetudine bonus vel malus. At vero his qvi ſanctitatem vitæ minime profitentur, nemo fidit: qvamobrem fide majore uti coguntur talesqve ſe apud homines præſtare ut non videantur ea profeſſione deteriores: unde etiam venit ut his temporibus pauci fœneratorum fidem æqviparent cum tamen illi reliqvo vitæ genere ſint perditiſſimi. Qvin etiam apud Judæos, cum Phariſæorum ſecta reſurrectionem, nedum animorum fateretur immortalitatem, perpetuo Chrtſtum inſectabatur: Sadducæi qvi animi interitum fatebantur vix ſemel aut bis illum nec moleſte admodum tentaverunt. Inde ſi Plinii & Senecæ vitam, non verba comparaveris invenias Plinium cum ſua animorum mortalitate tanto ſuperare Senecam probitate morum qvanto verbis Seneca religioſiſſimis Plinium vincit. Colebant Epicurei honeſta-*

neſtatem, pupillorum hæredes officioſe tractabant, filios defunctorum amicorum propriis pecuniis fovebant: apud omnes optimi viri præter Deorum cultum, qvos eſſe firmi negabant, habebantur. Ad hanc etiam ſpem mali occaſionem arripiunt, boni multa perperam patiuntur, leges mitiores ſtatuuntur, ſic fit, ut hæc opinio etiam jacturam rebus humanis afferat. Sed nec ad fortitudinem conducere videtur, nam non Caſſio Brutus fortior fuit, & ſi vera fateri volumus, crudeliora etiam fuere facta Bruti qvam Caſſii, nam ille Rhodios infenſiſſimos longe melius habuit qvam Brutus amicas qvibus præerat civitates. Qvid tandem? Brutus Stoicus patriam ab Epicureo Caſſio ſervatam, Antonio per leges incolumi præſtito, evertit. (a) His vero placitis Cardani non adſtipulatur Lucilius in eo libro qvem contra Atheos edidit ubi argumento, qvod â doctiſſimorum auctoritate ſumitur immortalitatem animæ negantium, Ariſtolis, nempe Senecæ, Cardani & Pomponatii, his verbis inter alia reſpondet: *Pomponatius qvidem & Cardanus plurimis imbuti diſciplinis & ſcientiis fuere tantum abeſt ut nobis adverſentur ut etiam de immortalitate uterqve opus qvoddam conſcripſerit. Ego qvidem qvid ac qvomodo ſcripſerint, me ignorare non infiteor invitus, nec enim unqvam ipſorum hæc opuſcula in manus meas venerunt, nec in ipſis Francofordianis nundinis multo minus in Lutheranis & Lugdunenſibus officinis potuerunt reperiri, impreſſa tamen accepi Baſileæ. Neſcio an fortaſſis imitatí ſint Agrippam qvi de dæmonibus invocandis conjurandisqve tot compoſuit libros cum tamen ipſe peſſimus nebulo reliqvorum inſtar, qvos & Necromantiſtas vulgus appellat, nullos omnino dæmones eſſe aſſeveravit ut libro de vanitate ſcientiæ & in 1. qvoqve tomo inſinuat.* (b) Non poſſumus niſi idem de Lucilio ferre judicium qvod de duumviris illis Pomponatio & Cardano tulit. Nam

ut

prout ipſe toto hoc libro contra Atheos multo clamore inſurrexit, ſic ultimo ſcripto omnia qvæ ſcripſerat ante ad ſupplicium usqve negavit.

(a) Cardan. de immort. anim. c. 2. fol. 33. Vaninus de arcanis Naturæ. p. 328. (b) Vaninus in Theatro exercit. 28.

§. 17.

Cardani vero ſententiam qvod concernit non negamus Epicureos qvibusdam Stoicis ſanctius fidem jura, pietatemqve coluiſſe licet animam â morte ſuperſtitem imo Deos eſſe negarent. Id ipſum recte ac ſapienter â Verulamio notatum qvi ſcripſit: *Præſtat, nullam aut incertam de Deo habere opinionem qvam contumelioſam & Deo indignam. Alterum enim infidelitatis eſt, alterum impietatis & opprobrii. Ac ſuperſtitio certe divinitatis eſt dedecus. Plutarchus non abs re inqvit: Mallem ſane multo ut homines dicerent, nunqvam fuiſſe talem in rerum natura virum, qvalis ferebatur Plutarchus; qvam ut dicerent fuiſſe qvendam Plutarchum, qvi liberos ſuos recens natos comedere & devorare ſolitus erat; qvod Poëtæ de Saturno memorant. - Atheiſmus non prorſus convellit dictamina ſenſus non Philoſophiam, affectus naturales, leges, bonæ famæ deſiderium: qvæ omnia licet religio abeſſet morali cuidam virtuti externæ conducere poſſunt. At ſuperſtitio hæc omnia dejicit & tyrannidem abſolutam in animis hominum exercet. Itaqve Atheiſmus turbas in rebus publicis raro ciet: homines enim cautos reddit & ſecuritati ſuæ conſulentes. Qvin & videmus tempora ipſa in Atheismum procliviora (qvalia fuerunt Auguſti Cæſaris) tranqvilla fuiſſe. At ſuperſtitio compluribus regnis & rebuspublicis ruinæ fuit.* (a) Multi habitu externo Platonicos ſe & Curios ſimularunt cum tamen hi peſſimis moribus, alieniſſimi ab ejusdem inſtitutis ſint deprehenſi.

His ſane meliores fuere Epicurei Deos qvos vulgus Ethnicorum credebat, negantes. Multi qvoqve Chriſtianorum ſunt Hypocritæ & hi magni Athei *qvi ſacra* Baconis verba ſunt, *perpetua tractant ſed ſine ſenſu. Adeo ut eos in fine cauterizatos evadere neceſſe ſit.* (b) Animæ vero immortalitatem ex hujusmodi argumentis firmiter demonſtrari non poſſe verum eſt ſed â negatione unius alteriusve argumenti ad negationem rei pro qva adducuntur non valet conſeqventia. Qvinimo plurimum conferre dicimus ad bene beateqve vivendum, animæ immortalitatem credere. Hoc omnes fere libri Atheorum continent religionem Chriſtianam cujus pars eſt animæ immortalitas effectam eſſe ut eo melius regi vulgus â magiſtratu & prudentioribus poſſet. At ſine magiſtratu nulla respublica ſubſiſtere poteſt ejusqve timore beate vivere, adeoqve nec absqve ejus inventis fide nempe Chriſtiana, animæqve immortalitate florebit. Eſt hæc qvidem vana qvædam Atheorum falſiſſimaqve opinio; ſed hoc qvilibet facile perſpectum habebit, nullum unqvam gravius argumentum eſſe qvo homines abſterreantur â vitiis & ad virtutes incitari poſſint qvam voluptatis beatiſſimæ cruciatuumqve maximorum futura æternitas. At verò hæc eſt ſpes illa qvæ animæ immortalitati individuo nexu copulata eſt. Qvi non credit animam ſuperſtitem, nullum iniqve ageus judicem timet; nullum, cum iniqva patitur â morte ſe vindicaturum ſperat. Una vero inexorabiliqve morte ſi omnem ultionem finiri credit qvid impedit qvo minus homo in peſſima ſcelera ruat? qvid expedit ut pie vitam degat. Habemus igitur absqve animæ immortalitate homines ſi horam mortis unicam ſuſtinere valuerint, rebelles in ſuperiores, in inferiores violentos, in æqvales contentioſos,

in

in ſemet ipſos ſævientes. Nam qvi qvosdam amor virtutum honeſtæqve famæ tenuit, non niſi paucis admodum in republica in eſt, qvos amor ſui rapit in cunctis numerantur. Non æqve cogunt nos ad leges obedientiæ, qvæ ab aliarum rerum exiſtimatione deducuntur qvam qvæ â noſtra ipſorum utilitate vel perditione capiuntur: & utroqve argumento noſmet ipſi cum periclitamur gloria noſtri & dedecore, nemo ſanæ mentis iſta magis ad officia adigetur, hæc ſi temporalis, alterum æternum. Qvum ergo vita perennis maximo pondere virtutis ſtimulos urgeat in homines illa ad beatitatem vitæ plurimum conferre debet. Stoicis interim & Platonicis & Phariſæis inculcata doctrina fuit de immortalitate animæ ſed melius iis vixere Epicurei, modeſtius decertarunt Sadducæi. Qvid inde? notiſſimum eſt qvosdam melioribus legibus uti deteriorem vivendi conſvetudinem ſeqvi, non eſt ea culpa legum ſed hominum eas omittentium. Sed ad Lucilium revertamur.

(a) Baco ſerm. fidel. §. 17. de ſuperſtitione p. 1165.
(b) idem ib. §. 16.

§. 18.

Huic tamen præter cæteros qvoscunqve cariſſimus fuit Petrus Pomponatius Mantuanus qvi Bononiæ & alibi Ariſtotelis placita magno niſu excoluit, qvem præceptorem ſemper vocare ſolitus eſt ſive qvod ipſius diſciplina uſus eſſet per tempus aliqvod ab ipſius ore pendens (Bononiæ certe fuit) ſive qvod ejus libros opinioni ſuæ apprime convenientes inveniſſet. Nam qvem de Incantationibus ſcripſerat, aureus Vanino dicitur (a) & alius â Pomponatio de Fato elaboratus mirifice placuit (b) His qvidem libris innotuit eruditis Pomponatius. Sed & aliud Vaninus hujus opuſculum prædicat, *Petrus*,

 inqvi-

inqviens, *Pomponatius Philoſophus acutiſſimus in cujus corpus animum Averrois commigraſſe Pythagoras judicaſſet in admirabili ſuo opusculo de effectuum naturalium rerum cauſis vera fuiſſe confitetur oraculorum reſponſa, non tamen edita â Deo vel â Dæmone ſed ab anima & corpore cœli. Nam inqvit hic Mantuanus, cum Intelligentia non ſit corpus neqve virtus in corpore ex Ariſtotele* (c) *& conſeqventer proprie non ſit in loco neqve in ſubjecto nihil vetat dicere, illam fuiſſe in ſtatua idoli ibiqve facillime potuiſſe mediante corpore cœli (cœlum namqve eſt inſtrumentum univerſale Intelligentiarum) per os idoli vocem emittere prout tibicen per tubam ſonum edit. Nam ſi ex Chriſtianorum ſententia Dæmon potuit id efficere, cur non ſupernæ mentes immateriales cœli motrices? cum plus virtutis non ſit in illo qvam in his ad oraculum ſive idolum inflandum & movendum.* (d)

(a) Divinus Præceptor in aureo opuſculo de Incantationibus Arc. Nat. dial. 51. p. 374. (b) Exerc. 49. Amphith. ubi contra Stoicos de Fato materiam tractat Pomponatium refutaturus non diffitetur plerosqve putare ſe Pomponatii partes ſeqvi. De cœli vero anima nugæ ſunt vulgari opinione turpiores qvas ridet qvicunqve ſane mentis eſt qvandoqvidem omni rei veritate caret. (c) Ariſt. 8. Phyſic. [d] Exerc. 6. Amphith. Intelligentias vero talis eſſe nullo unqvam argumento firmo probatum eſt.

§. 19.

Cujus vero Pomponatius fidei fuerit ê defenſa Averroïs de perituris cum corpore animabus ſententia perſpicuum eſt. Qva de re cum culparetur â ſuperioribus, animas qvidem perituras ut Philoſophum ſe ſtatuere ſed non morituras ut Theologum credere dixit incautus iræ Divinæ qvæ Philoſophum in credulum ſupplicii æterni damnatura nec Theologum impunitum relictura eſſet. Qvinimo Lucilium pudet aliqvando

Pompo-

Pomponatii errores in lucem producere qvando *Petrus* inqvit, *Pomponatius in opuſculo de effect: rerum naturalium cauſis Buſileæ impreſſo vera eſſe dicit utriusqve legis* (id eſt veteris & novi teſtamenti) *miracula. Eorum tamen cauſam effectricem putat eſſe vel ſydera vel imaginationem noſtram. Sydera qvidem, nam univerſi ordinem ac regimen cum intendant vel religionum qvoqve inſtitutiones â qvibus omnis emanat ordo. Verum qvia gentes novo legiſtatori non crederent niſi & miracula ipſum operantem intuerentur idcirco cunctas virtutes ac facultates qvas ipſa ſydera ſejunctim impertiuntur animalibus, herbis & lapidibus in unum colligunt & novo legislatori conferunt qvi tanta donorum cæleſtium comitatu circumſeptus & communitus qvamplurima conficiet admirabilia. Nam ſi poteſt præſtare illa diabolus & hic igitur novæ legis ſydereus auctor. Conſecutio probatur. Nam ex Divi Auguſtini ſententia, nullum præſtat mirabile Satanas niſi activa paſſivis applicando qvod aliud non eſt qvam patientis ſenſus alterare, phantaſiam commovere & herbarum ſuccos efficaciſſimos ſibi optime notos ex disjunctiſſimus terrarum partibus confeſtim allatos ſubjecto applicare. Hæc autem omnia & longe majora vi ſyderum novus legiſer præſtare potuit. Adducit complura exempla qvæ referre non licet religionis gratia.* (a) At unde tandem nugator ipſe probabit hunc qvem ſyderibus tribuit illapſum? cur non in Deo acqvieſcit ſyderum auctore? Miraculi vox non eſt eadem ſignificatu qvæ rei miræ vel mirandæ. Res mira eſt producere ſerpentes vel mures ubi nulli ſunt, qvia effectuum horum cauſæ non ſunt nobis cognitæ, & tam diu mira dicitur qvamdiu illæ nobis non patent; fieri tamen poſſunt, ipſa natura operante cujus effectum res iſtæ non tranſcendunt. Qvarum rerum ſpecies

produci poſſunt vel prudentia ſola humana vel ope diabolica. Miraculum vero eſt operatio vim naturæ transcendens; nec arte humana nec Diabolica perfici poteſt. Miraculum eſt, baculum Moſis ſola manuum emiſſione fieri ſerpentem eundemqve attrectatu mutari in veriſſimum baculum. Nam hic natura nihil agit ſed vi Divina cuncta perficiuntur. Qvibus poſitis ſententiam Pomponatii contradictionem involvere nemo non videt, dum miracula dicit qvæ vim ſyderum non transcendunt atqve ſic tacite negat res â Deo ſolo ultra vires naturales peractas in veteri & novo teſtamento eſſe miracula. Qvod hoc argumento clarius patebit:

Omnia miracula vim ſyderum & naturæ ordinem vi Divina ſuperant. Nullæ res miraculoſæ Veteris & novi teſtamenti vim ſyderum & naturæ ordinem vi Divina ſuperant. Ergo nullæ res miraculoſæ veteris & novi teſtamenti ſunt miracula. Hæc eſt ex verbis Pomponatii facta concluſio ſi nempe miraculum id vult qvod viribus ſyderum perficitur. Qvod ſi negat ſeqvi ex præmiſſis poſitionibus contrarium ejus ſeqvetur adeoqve ita rectius nec abſurde argumentabitur: Omnia miracula vim ſyderum naturæqve ordinariam operationem ejusdemqve curſum ſuperant: Omnes vero res iſtæ veteris & novi teſtamenti ſunt miracula; omnes ergo res iſtæ veteris & novi teſtamenti vim ſyderum ordinariamqve naturæ operationem ſuperant. Qvod autem vim miracula patrandi ſyderibus adſcribit Pomponatius, facit hoc ex falſa de Intelligentiis perſvaſione qvæ â Philoſophia Scholaſtica ſeu potius religione Ethnicorum originem trahit, qvi crediderunt Deos, ſolem, lunam, Mercurium aliosqve ſtellas errantes.

[a) Exercit. 8. Amphith. p. 52.

§. 19. Hanc

§. 19.

Hanc & ejusdem de Fato Stoico doctrinam non diſplicuiſſe Lucilio confitebitur qvi cauſam ejus propter qvam capitis damnatus fuit, ex auctoribus fide dignis cognoverit. Nos jam certiores eſſe ſatis eſt eum in perſeqvendis magiſtri veſtigiis magnopere ſibi placuiſſe eundemqve mira doctrinæ ſimilitudine retuliſſe; dum ille, qvod unum intereat, ut Philoſophus ſimul & Theologus animæ mortalitatem immortalitatemqve dum viveret credere, hic vero in perniciciſis erroribus ſuis ſpreta Theologi fide ut Philoſophus mori qvoqve in credulus voluit. Hac occaſione dicendum cur iſti, viri noluerint in Scripturæ Sacræ relatione acqvieſcere qvæ rem omnem qvam illi ſtellis, Deo adſcribit. Cujus ergo momenta ponderabimus qvibus ſacrarum literarum auctoritas vel divinitas probari ſolet, num ſint tantæ dignitatis ut iis contenti eſſe potuerint. Longum eſt omnia enumerare, brevibus rem expediemus. Momentum omnium primum antiqvitatem introducimus qva omnes alios ſuperat ſacer ille codex, antiqviſſimorum nempe populorum ſcriptoribus: Phœniciorum Sanchoniathone, Ægyptiorum Toauto ſeu Hermete, Chaldæorumqve Zoroaſtro, qvod etſi veritatis divinæ non directe probet, librorum tamen contradicentium minuit auctoritatem. (a) Hoc enim ipſo veriora eſſe qvæ in iſto continentur, cum de origine mundi aliisqve rebus ab his maxime diſcrepat, cuiqve facile videbitur, qvoniam qvo prior initio mundi ſcriptor fuit eo probabilior apparet. Sed cum in iſto Deus qvi condidit mundum, auctor literarum earundem indicetur, clarius & verius qvam alii longo poſt tempore nati, rem omnem ut geſta eſt enunciare valebit. Non eſt inqvam, hæc probatio nulla, majori tamen vi humanam

manam mentem cogit in assensum cum simul relatum fuerit nullum antiqvissimorum librum clarioribus circumstantiis causam humanæ felicitatis & miseriæ enarrare, nullum qvoqve homini lapso media cum Deo in gratiam redeundi necessaria prius monstrasse qvod tamen ab initio lapsus fieri statim debuit, nisi qvosdam absqve mediorum notitia periisse oportuerit. Qvæ ratio ultima statim innuit eundem librum talem esse qvalem nondum cognitum qvisqvam judicat nobisqve viam ad pristinam vitæ beatitatem qva excidimus regrediendi ostendentem, aliosqve libros omnes sui omniumqve seculorum hac materia superantem. Alterum est homines qvi Sancti Spiritus à manibus fuerunt fide digniſſimos esse habendos, siqvidem scriptoris boni virtutes omnes in ipsis deprehensæ. Fuit in iis necessaria rerum traditarum cognitio ob id vel maxime miraculosa qvod simplices & indocti summa mysteria qvibus nemo sapiens excogitandis aptus erat sine humano studio cæteros homines edocuerunt. Veritatis qvoqve studiosissimos fuisse ex ipsorum vitæ sanctitate cujus pars maxima veritatis amor colligitur, qvia totus mundus licet inimicissimus reprehendere eos non potuit nisi ob bonitatem, juxta tritum istud Ethnicorum: Cajus Sejus bonus vir, tantum qvod Christianus. Præterea hoc ipsum conjici debet ê defectu causarum qvibus perduci possunt auctores ut scribant rem aliter ac illa vera est, accidisse. Nam periculi timorem læti spernebant ultima pro testimonio patientes. Et si qvædam adversa minuerent animum cogebantur â Spiritu qvi agebat eos ad res visas mundo ingratiis annunciandas. (b) Nec spes commodi qvod ex silentio vel corruptione veritatis nasci poterat, eos adegit qvo minus se qvotidianis periculis exponerent. (c) Imo si qvid ab ipsis

ut

ut hominibus non recte factum, insolita suorum nævorum recensione detexerunt neqvid damnosi huic veritati studuisse crederentur. (d) Tertio loco miracula ponimus qvibus viri illi Divini doctrinam suam toti mundo talem probarunt. Nam sunt miracula ut dictum est opera singularia qvæ non ordine naturæ sed Divina virtute solummodo perficiuntur. Qvo magis indicio est hos homines cum Deo egisse, Deumqve per ipsos operatum, ut ostenderet, hos sibi placere ejusqve mandato fieri, qvi ab iis sermones de Deo aliisqve rebus cœlestibus instituerentur. Multa vero miracula fecisse Prophetas & Apostolos multitudine exemplorum adeo probatum Ethnicis fuit, ut non habentes qvod contra negarent, imbecilli admodum effugio res ipsas minuere qvæsiverint, dicentes etiam in suis esse qvi plura patrassent qvam ipsimet Apostoli miracula. Cujus gratia Apollonium Tyaneum imprimis oppossuerunt, qvi tamen non tanta perfecerat opera qvanta postea de ipso gloriabantur Porphyrius (e) & alii. Nec qvisqvam testimonio suo, qvod maxime vero simile dedit Flavius Vopiscus (f) mortem perpeti unqvam voluit ut Apostoli pro veritate prædicati de Christo Evangelii omnibus hominibus hoc præstiterunt, qvi de futura læti gloria eandem subiêre. Id qvod homini duorum virorum Christi & Apollonii incerto sane plus excitat fidei in Christianæ religionis qvam Tyanei illius Apollonii conficta miracula veritatem. Fuit enim institutis Philosophorum Indorum seu Braminum imbutus & arcanos qvosdam naturæ effectus sibi cognitos spectantibus discipulis aliisqve exercebat in multam eorum admirationem qvi harum rerum ignari erant. Ægros enim curare, viginti vel ultra annos membris captos restituere egregium qvidem natu-

 ralis

ralis ſcientiæ opus eſt ſed non miraculum. Paracelſum hujusmodi morborum curationes chymicis mediis feliciter inſtituiſſe relatum eſt. Qvodſi Apollonius lethargo & apoplexia correptos & aliqvot diebus ſemianimes in uſum vitæ revocavit non fecit ea arte miraculum, licet ignorantes id ipſum putaverint: res mira fuit ſpectatoribus, non ipſi nec aliis Medicinæ gnaris. Non diſplicet nobis judicium eruditiſſimi Morhofii qvod in Polyhiſtore ſuo de hoc viro tulit qvi lectoribus plura cupientibus ſitim reſtingvere laborat. (g) In rebus arcanis fieri ſolet, ut qvæ ignota ſunt multis additamentis â credulis exagitentur â contemtoribus aliis commentis in riſum vertantur. In his media via tenenda ſapientioribus eſt: *Semper qve cogitandum* inqvit *multa eſſe naturæ arcana, qvæ vel ſapientiſſimis incredibila videbuntur.* - *Superſunt Patrum ipſorum teſtimonia qvi honorifice de Apollonio ſentiunt; & ê ſimili ſchola veniſſe primos illos Chriſti cultores novimus, occulto impulſu motos & tanti myſterii ſi fas ita loqvi eſt, conſcios. Qvodſi aliqvi calumniatores his ſimilibusve exemplis abuſi fuerunt ad Divinam Chriſti majeſtatem imminuendam id ad illorum potius malitiam qvam ad innocentes referendum eſt.*

[a) id qvod prolixæ probatum vide in Eduardi ſtillinfleti originibus ſacris c. 2. & 3. (b] Gal. l. 10. 1. Cor. 9. v. 16. 17. Jer. 20. v. 9. (c) 1. Theſſ. II. 2. [d] Num. XX. 12. XXVII. 14. Matth. IX. 9. XX. 25. Act. XV. 39. 1 Cor. XV. 9. 1 Tim. I. 15. [e] Porphyrius apud Hieronymum in Pſ. LXXXI. 8. Lactant. de juſtitia l. 5. c 3. De puella ab Apollonio in vitam revocata Philoſtratus ſcribit. τεθνάναι ἐδόκει (videbatur obiiſſe.) Imo ipſe dubitat Philoſtratus, num ſcintillam animæ in puella repererit qvæ Medicis non patuerit, an animam extinctam refoverit l. 4. c. 16. Apollonius nullam ſe lingvam ignorare prædicat, apud Philoſtratum qvi paulo poſt eidem ad alloqvendum Phraotem interprete opus fuiſſe refert l. 1. c. 13. de his omnibus fideqve Philoſtrati vid. Huet.

Dem.

Dem. Evang. prop. 9. edit. Paris p. 553. vid. lib. Philoſtrati Lemnii de vita Apollonii Tyanenſis Lipſiæ excuſum Anno 1708.

(f) In vita Divi Aureliani c 24. (g) Morhoff, Polyhiſtor. l. 1. p. 127. idem de notitia auctorum cap. 9.

§. 20.

Qvodſi non ſufficit dubitanti, teſtimonium totius Eccleſiæ producitur, qvæ alias in multas hæreſes diſſecta qvarum alia diverſiſſime ſentire ab alia ſolet, in hoc tamen mirifice conſpirat, Scripturam hanc Deum habere auctorem. Non eſt enim probabile totam Eccleſiam qvæ florem humani generis complectitur, tantum hominum & morum elegantiæ & vitæ probatæ veritatisqve qvam tantopere commendant ſtudioſiſſimorum in tãtum conſpiraſſe mendacium ut libros â ſolis hominibus profectos qvos ſcirent, qvaſi Deo auctore conſignatos liberis ſuis nepotibusqve ſeris unanimi adeo conſenſu coñendaſſent. Teſtes ſunt Chriſtianorum primi qvi avtographa ſacrarum literarum ſuis oculis viderunt, â qvibus acceperunt juniores qvi hoſtes ad ea inſpicienda ablegarunt qvod vix auſi fuiſſent ſi de veritate non conſtitiſſet. Qvod facit inter alios Tertullianus *dum, age jam, inqvit, qvi vales, curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud qvas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud qvas ipſe authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuscujusqve. Proxima eſt tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longe es â Macedonia, habes Philippos habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere habes Epheſum, ſi autem Italiæ adjaces habes Romam, unde nobis qvoqve auctoritas præſto eſt* (a Huic qvinto accedit qvod ultra verba reapſe teſtimonium perhibuere qvi libros viderunt cum cæteris qvi eos deſcri-

bendos & deſcriptos acceperunt. Si voluiſſent defraudare veritate ſibi cariſſimos, non ſemet ipſos tamen cum tot millibus qvi propter eam libro fidem obſignatam & ſenes & juvenes fœminæqve cum imbelli tenellorum turba tormentis mortis ſubjecti ſunt doloresqve viribus ultra naturam conceſſis conſtanter pertulerunt, perditum iviſſent omnes. Sed cuncti præter johannem violenter obeuntes Apoſtoli eorumqve diſcipuli certiſſimi ejus rei mortem ambabus potius exceperunt qvam renuerunt cum nulla in his terris gloria nec ullum commodum de obſtinatione animi iis ſcientibus remaneret. Si cui animus eſt exempla videre evolvat qvi de ea re ſcripſerunt. (b) Qvod ſi inter multos de compoſito mendacium tractatur ſolet tamen exqviſitiſſimis poenis ab uno veritas hauriri. Hoc autem omnes uno ore teſtati ſunt ita ſe habere ac initio dixerant verbi divini prædicatores. Unde graviter monet Euſebius: *Qvodſi mendacia hæc erant qvæ illi ex compoſito finxiſſent, opere pretium erit admirari, qvonam pacto tantus numerus conſenſum illum interſe in rebus fictis vel ad mortem ſervaverit, neqve ullus unqvam earum rerum formidine, qvæ illis, qvi prius ſublati erant, accidiſſent, â ſocietate deſciverit, neqve reliqvis publice contradixerit, prodens ea qvæ inter ipſos compoſuiſſent.* (c) Stupendæ huic martyrum conſtantiæ iſtud accedit non leve momentum, qvod doctrina in Scriptura Sacra deſcripta per univerſum terrarum orbem feliciter propagata ſit, obſtantibus impedimentis tam gravibus ut nulla hominum potentia ſuperari potuiſſent qvæ difficultas ipſorum certe divinam qvandam directionem auxiliumqve arguit. Duodecim omnino viri erant ſimplices & indocti qvi cum toto mundo bellum ſuſceperunt, in qvo tamen judæorum error de Meſſia terreſtri, Paganorum

norum de ſimulacrorum per tot ſecula cultu altas radices egerat, attamẽ his totus tandem orbis paruit. Res proponendæ inſvaves omnium auribus erant, nec humanæ menti ob myſteria niſi inſipidæ ſtultæqve videbantur, perſvaſerunt tamen tot ſapientibus ſimplices hi piſcatores. Auxilia humana ad perſvadendum deerant, non armis ſed multa cruce paſſionibusqve obnitendum & id qvidem non his tantum qvi perſvadebant ſed & qvibus perſvaſa doctrina erat, ſtatim odium mundi graviſſimæqve pœnæ annunciandæ imo ſubeundæ erant, vicit tamen absqve viribus humanis imbellis turba hominum. Non erant leves qvibus qvotidie exagitabantur converſi paſſionibus, non tamen frangebantur animo dira paſſi. Hinc gloriatus eſt merito Athanaſius, *tot* inqviens, *tantisqve â Græcorum Philoſophis voluminibus ſcriptis, ne paucos qvidem* (gentiles Philoſophi) *vel ex proximis locis adducere potuerunt, ut ſua de immortalitate animæ dogmata & placita de vita ſecundum virtutum inſtituenda amplecti vellent: ſolus Chriſtus vilibus citra ullam magnificentiam verbis, ac per homines neqvaqvam eruditæ lingvæ in orbe terrarum plurimis Eccleſiis id perſvaſit, ut mortem inter contemta, immortalia inpretio haberent.*

(a) Lib. de præſcript. c. 14. p. 108. edit. Baſ.

(b) D. Kortholt. de perſec. Tr. Singularia de Catechumenis notavit Pfannerus lib. de Catechumenis c. 4. p. 402. Memorabile factum memorat *Baſilius* Magnus & Gregorius Nyſſenus in orationibus in 40. Martyres. (c) Euſeb de Dem. Evang. p. 74. (d] Athanaſius de incarnatione verbi p. 45. edit. Paris.

§. 21.

Tandem codicis ſacri inter tot Tyrannorum perſecutiones mirabilis conſervatio ultimo nobis momento adducenda eſt. Experientia ſiqvidem probatum multos libros qvibus ſervandis potentiſſimi Reges ſtuduerunt ſimul

cum rebus publicis in qvibo ſunt aſſervati periiſſe. Sed hic unus â Regibus toties damnatus, toties exuſtus, cuſtodibus ejus fidis & lectoribus horrendum excarnificatis ſervatus tamen eſt duraturus ad finem hujus mundi. Plura addi poſſent niſi brevitati ſtuderemus argumenta, his tamen cuiqve vel ipſo Spiritus Sancti teſtimonio præciſo, fides humana qvæ dicitur, qvatenus momentis Scripturæ externis innoteſcit & in iſtoc genere maxima fieri poterit. Qvi vero factum ut nec Pomponatius nec Vaninus auctoritati qvam argumenta dicta conciliarunt, ſcripturæ acqvieverint? Habuerunt utiqve ſcripta patrum in qvibus hæc argumenta leguntur, fuerunt & alii Romani fide qvi iisdem argumentis divinitatem ſacrarum literarum probaverunt. Sed cogitandum iſta qvidem audiviſſe & legiſſe ſed prout ſunt argumenta qvæ tantum exteriora Scripturæ putantur nec præter interna & qvod palmarium eſt Spiritus Sancti teſtimonium, niſi magnam probabilitatem pariunt; qvo ultimo deficiente ſic facilius cætera animo elapſa ſine accuratiore conſultatione auditoqve uno eoqve leviſſimo Atheorum argumento intermiſſa ſunt. Qvod alieniſſimum eſt ab iis qvi procedunt ulterius, Scripturamqve ſacram diligentiſſime ſuis oculis perluſtrant, ubi graviora ipſis pondera occurrunt argumentorum qvæ Scripturæ interna dici ſolent qvalia ſunt ipſius ſtyli in proponendis creditu factuqve neceſſariis gravitas auctore Deo digniſſima. Solent enim alii libri phaleratis verbis factisqve demonſtrationibus ad aſſentiendum nos movere, qvod multo fit aliter in hoc libro ubi omnis aſſenſus ad ſimplicem ſummi Dei voluntatem ſine blanditiis animo humano gratis revocatur. Qvippe cum ſanctiſſima homini peccatori vita, ingrata horrida qve perditis moribus injungitur, ſola præci

pien

pientis atqve dicentis auctoritas omnium argumentorum loco insinuatur. Cujus causa sæpe his verbis præcepta illic initium sumunt: Ego Dominus Exod. XX, 2. Sic dicit Dominus Exod. XXXIII, 1. Et dixit Deus Gen. I. 3, 6, 9, 11, 14. verbum Domini factum est ad me Jer. I, 2. Iis vero qvi spreverint mandata ejus, singulares poenæ qvas nemo nisi Deus ipse infligere potest annunciantur singulari styli sublimitate Deut. IV, 23. - 40. c. XXIIX. Adest præterea veritas ab omni errore puriſſima, qvam in iis qvæ in hac vita intellectus humanus capit attributis nempe Dei, providentia, cultu, vitaqve juxta normam voluntatis Divinæ instituenda, cum humana natura prorsus & optime convenire deprehendit. Sic qvando Scriptura dicit Deum esse unum eumqve ceu unum omnium dominum sanctiſſime vocandum & invocandum esse, qvod Ethnicorum libri vel plane non tangunt vel non tam vehementer vel potius contradicendo tractant, hoc melius illo tanqvam sibi convenientius approbat humana ratio qvæ vel duo infinita nedum plura seu plures Deos statuere aversatur & plura numina colere horret. Veri Dei cultum animo potius qvam exteriori corporis gestu vel multis victimis fieri non ducit â vero alienum humana ratio qvæ qvod hominis est optimum Deum magis velle qvam qvod vilius eo est facile colligit. Providentiam Dei etiam minima curare dum absqve anxietate atqve cura perfectiſſimi Dei fieri potest, prona consequentia & eo libentius qvam nostri improvidum conjicit cum Deum ens summe necessarium semel cognoverit. Cultum Dei cujus pars est vitam qvoqve sanctiſſime degere non ex arbitrio hominis sed Dei fieri debere approbat recta ratio non ignara servitii qvod servus qvilibet non ex sua voluntatis libertate sed heri man-

mandato præſtare tenetur. Imo ſana ratio non poteſt non hunc ipſum titulo optimi & divini libri digniſſimum judicare cum in his videat rebus qvas ex parte tantum non vero perfecte ſecundũ cauſam novit, ſcripturam tam claram tamqve explicatam notitiam tradere. Novit homo ſe peccatorem unde primum hoc natum attractum ſit neſcit, ſuccedit ſcriptura clariſſima enarratione lapſus Adami eum inſtituens. Mundum intuetur, æternum dicere ob mutabilem rerum ſortem recuſat, antecedentia tamen tempora ſolisqve curſum eodem modo fuiſſe libris aliis lectis ubi cognovit non certi qvidqvam novit qvod ſtatuat; ſi vero ſacras literas conſuluerit, hæ omne dubium aufferunt accurata informatione de mundi creatione, decreta ab ipſo Deo duratione cœli non tamen æterna ſed tota hujus ſeculi deſtructione finienda. Multa ſibi aſtrorum lumine, terræ marisqve vitæ ſuæ ſervientiũ officio beneficia obvenire videt, qvorum adſpectu credit ſe ſuperiorem qvendam eumqve ſibi bene cupientem eſſe; ſed qvis ſit ille non videt num cœlum, aqva vel terra vel alius qvispiam per illa agens ſit colendus; ſuccurrit ipſi ſacer ille codex docendo Deum ceu ſpiritum iis inſtrumentis operibusqve ſe manifeſtare nec per lapides vel idola coli ſed pura mente. Peccata Deum habere iratum natura cognoſcit humana qvomodo in gratiam redeat, latet. Innocentiam vitæ poſt hac agendæ acta jam delicta non credit diluere poſſe, cum impurior illa novas inſuper poenas mereatur; Ita mens humana triſtiſſima de infinito Deo læſo ſolatium ubivis & in omnibus libris qværit nec invenit. Scriptura vero unicum medium fidem in Dei filium monſtrat: hunc ſolum videt homo ſufficientem iræ Divinæ. Qvandoqvidem hac ratione nullus Divino alicui libro convenientiora humanæqve

qve ſaluti utiliora continet, hunc eundem eſſe nullâ præjudicii ægrotatione laborans exiſtimabit. Qvæ vero lumen naturæ myſteria transcendunt nullam in iis contradictionem offendit, licet non capiat qvomodo illa peragantur.

§. 22.

Momentum fidei internum ut dici ſolet ſcripturæ alterum eſt veteris teſtamenticum novo & omnium utriusqve partium mira inter ſe harmonia & conſenſio. Ethnicorum ſcripta Philoſophorum qvæ de rebus lumine naturæ notis agunt eodem licet tempore vixerint auctores, multam nobis diſcrepantiam in iis explicandis tradidere: In relationibus vel duorum Hiſtoricorum circa eandem rem occupatorum qvam diſſentanea proferuntur! Hic locorum diſtantia ingenii & educationis varietate remotiſſimi omni ſæpe communicandi cogitationes occaſione privati ne minima qvidem particula vere ſibi & reapſe contradicunt. Qvod unius ejusdemqve Spiritus apud omnes præſentiam arguit ſcriptorumqve Divinitatem prodit. Scio probe, eſſe qvi hoc argumentum multis objectionibus, inimici Divinæ veritatis labe factare qvæſiverunt ſed non eſt noſtri jam inſtituti iis contravenire, lectorem interea benevolum rogamus ut eos ſibi commendatos habeat qvi huic materiæ ſcribendæ animum applicuerunt. (a) Exempli loco adducimus Moſen qvi Deum benedixiſſe populo judaico dicit adeo ut per ipſum omnibus populis benediceretur Gen. XII, 2. 3. idem moribus diſpar Bileamus invito ore dicere cogebatur cum idem Spiritus hunc tum temporis ageret Num. XXIII. 8. 23. XXIV, 9. idem Stephanus licet lapidibus ab ipſis judæis peteretur Act. VII, 3 - 10. idem Paulus cum tamen variis perſecutionibus ab ipſis

judæis urgeretur Rom. IX, 4-6. Victorem diaboli ê mulieris ſemine oriturum prædixerat Moſes Gen. III, 15. qvæ ſi ſolum verba legiſſet Eſaias non edoctus ſpiritu qvam facile filium alicujus judæi id interpretari potuiſſet; ſed longe altiora verbis indicari non natura ſed Divina inſpiratione expertus ſemen ſeu filium mulieris non autem viri optime explicuit, dum idem Deus omniſcius optime verborum antea dictorum recordatus hæc verba Eſaiæ inſpiravit longe arctius Maſaicis oraculis cohærentia: Ecce virgo concipiens filium pariet Jeſ. VII, 14. eodem etiam modo natalem Meſſiæ obtigiſſe Matthæus c. I, 18. 23. id ipſum Lucas â Matthæo locorum intervallo ſeparatus c. I. 34. 35. innuit. Nec qvisqvam illorum omnium qvi de natalibus Meſſiæ ſcripſerunt in hoc articulo diſſentit cum tamen id non modo facillime fieri potuiſſet (qvid enim facilius qvam hominem naſciturum mariti congreſſu inducere?) Sed ſolus ſibi qve relictus hominis nudi intellectus non id excogitare nec aſſerere potuiſſet timidus rei non eventuræ, nec voluiſſet præſertim cũ Mariam Joſepho deſponſatam ſcirent ad unum omnes. Tertio momenti interni loco divinitas Sacræ Scripturæ ê vaticiniorum de futuris contingentibus, qvæ ex Dei vel hominum voluntate libera dependent, ipſo eventu probatur. Qvo in loco non opus multa Scripturæ exempla adducere qvoniam qvilibet hiſtoriæ tam civilis qvam ſacræ non ignarus clariſſime videbit res ibi prædictas exactiſſime impletas eſſe. At iſtud futurum non potuiſſet, niſi qvi præſtitit hoc ſummus mundi arbiter per hos viros prædicere. Hinc acerrimus Chriſtianæ fidei oppugnator Porphyrius ſola Danielis prophetia tantas in anguſtias ob deteſtandi defenſionem erroris redactus eſt ut ob cauſæ obtinendæ deſperationem fingere tandem

fuerit

fuerit coactus falso Danielis nomen librum hunc præferre & Antiochi Epiphanis ævo in judæa compilatum esse ab homine qvi res iis temporibus gestas tanqvam futuras prædixisset, reliqva autem qvæ vere futura essent, utpote remota incertis aut falsis vaticiniis eum prænunciavisse. Unde patet *tantam dictorum fidem fuisse*, ut inqvit Hieronymus ut *Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse sed enarrasse præterita.* (b) Qvartum sibi locum tribuit summa legum in hoc libro sanctitas qvibus nullus unqvam liber sanctius qvicqvam continuit, ut videre licet Exod. XX, Deut. VI, 45. Matth. 37 - 40. c. V. VI. VII. Cui accedit ultimum divinitatis momentum perfectio ejus qva nos sufficienter docet qvæ homini salvando creditu factuqve sunt necessaria. Nullus liber alius tam solidam de peccato originis, futuro Dei judicio, anima humana, vita æterna aliisqve qvæ scire hominem maximi interest informationem tradit. Cætera, ne simus justo prolixiores, transmittimus hoc unum adjicientes qvod argumenta interiora qvæ prioribus, qvæ solent exteriora nominari fortius urgeant animos dubitantium, & omnia simul sumta demonstrationem qvandam, moralem (liceat dicere) pariant. Non est qvoqve vero simile illa non audisse Vaninum cum ipsius ætate iis argumentis contra Atheos jam sit disputatum. Sed vereor ne omnia superans argumenta testimonium Spiritus Sancti ex ipsa sacrarum literarum lectione percipiendum ab illis viris intermissum sit. Etenim qvamsit in Romana fide levis cura saluberrimi hujus codicis ê prohibita populo lectione ejus, latinæqve corruptæ versionis usu Clericis permisso clarissime patescit. Unde nata Theologis ê male lecta nec intellecta Scriptura simplicitas, in juventute hunc partes Theolo-

gorum deſerere eosqve juvenili ſupercilio ſpernere coegit. Auctus poſthæc indies deſpectus ejus in hunc librum eſt ex rixis qvas cum eo Sacerdotes agitaverunt ob Scholaſticæ Theologiæ qvam ſprevit, contemtum. Nam ut fieri ſolet ab imprudentibus qvod Codici ſacro repugnare videtur cum non poſſit ſolide refutari ſtatim clamatur Atheum ita qvoqve animi & im prudenter & indocte reprehenſi ætatisqve fervore incitati atheismo favere potius incipiunt qvam prudenti ratione in ejus perditionem inqvirere. Ac id qvidem expertus Lucilius omnem Dei ſcientiam ob ſuorum errores inſcitiamqve, nullam infelix exiſtimavit. Sed Tempus eſt de iſtoc jam pluribus agere.

(a) Waltheri Harmonia: it. Muſæus Introduct. in Theol. p. 346. adverſus Matthæum Knutzen conſenſum Scripturæ Sacræ vindicans.

(b) Proœm. Com. in Dan. vide Huet. dem. Evgl. p. 230.

Caput. II.

Lucilius in Germaniam tendens §. 1. in ea diſputans §. 2 - 4. perrexit in Bohemiam §. 5. Belgium §. 6 - 13. poſtea Genevam §. 14. Lugdunum Londinumqve §. 15. iterum Genuam §. 16. Niciam deniqve Toloſam §. 17.

§. 1.

LUcilius tempus eſſe credens qvo exteras qvoqve regiones inviſeret domum prius redire ſtatuit, unde poſtea iter in Germaniam meditatus ſpretis auguriis & timore naufragii tandem ſeceſſit. Qva de re ſic verba fecit: *Ego cum Tauriſanum patriam meam nobiliſſimam & velut in orbis annulo gemmam peterem, mœſtum cornicis cantum audivi atqve inde mihi in æſtivis caloribus obequitans auſpicatus ſum necem: at vana (Deo gratias) auguria ceciderunt. Johanni Mariæ Ginochio*

nochio Theologo Germaniam peragranti dedi me in ſocium. Cum Argentorato diſcederemus vix adſcendit naviculam & corvum adſpexit, hinc naufragio auſpicato domum redire volebat; at ego reſpondi; nec naufragus ire recuſo. Fiat immutabilis Dei voluntas, qvæ ab æterno menſurabiles noſtræ vitæ dies conſtituit, ut Propheta loqvitur, atqve audacior factus terrificas Rheni minas neglexit & incolumes ambo ad portum pervenimus. (a) Qvodſi ex his verbis Vanini judicandus eſt animus Chriſtianum declarare poſſemus optimum qvi non ſuperſtitioni gentium animum ſacraſſet ſed fiduciæ in ſapientiſſimam Divini Numinis providentiam directæ. Sin ê neceſſario naturalium cauſarum nexu & Natura Dea inexorabili illa precum contemtrice qvalem ſtatuit progenita in eo audacia eſt, nullius ſuffragium merebitur.

(a) De arcanis naturæ Deæ dial. 56. p. 425.

§. 2.

Scio eqvidem multas itinerum deſcriptiones & diſceptationes cum Atheis confictas haberi iisqve hiſtoriis eorum ſententiam ipſummet diſſeminare dum majore ſemper pondere argumenta hoſtium relata fulcit ac ſuam ipſius ad ea reſponſionem. Sed multa qvoqve loca extranea viſitaſſe hominem curioſum non eſt â veritate alienum & qvi recenſiones omnes perlegerit de fraude ipſius & itineribus utrumqve verum judicabit. Hic vero laudis ſuæ non timidus præco ſe maxime contradixiſſe in Germania Atheis narrat & in exemplum totum qvidem colloqvium cum qvodam ejusdem farinæ â ſe inſtitutum ait, in qvo cum adverſarius qvasdam objeciſſet rationes qvæ & ipſi in libro ultimo de Arcanis Naturæ Deæ non improbantur (a) rem omnem, ut geſtam refert verbis ſuis deſcribemus. *In Apulia qvæ olim magna*

gnaGræcia dicebatur ſitum eſt oppidum Preficium nomine non longo â patria noſtra disjunctum intervallo. In illius oppidi ſuburbio inventa eſt Deiparæ imago qvæ honorificentisſime, integerrime religioſisſimeqve ab omnibus debito more colebatur. Inaudivit illud idem cæcus qvidam ab ipſo ortus ſui dieet duce puerulo aut canicula ad ſacellum virginis feſtinavit, de geniculis adoravit, fuſis precibus obdormivit & tandem ê ſomno experrectus illuminatum ſe agnovit, ſurgens autem claudum ſe effectum eſſe advertit. (a)

[a] In qvarta libri de Arcanis parte in qva Ethnicorum religionem ſibi refutandam propoſuit ut commodam Chriſtianæ irridendæ occaſionem nancisceretur, easdem qvas hic Athei finxit rationes contra cœcum â Veſpaſiano ſanatum profert. Dial. 57. p. 439.

§. 3.

Suſpectum fraudis eſt Vaninum non aliud producere miraculum Atheo niſi cum qvo ita comparatum ſit ut ſtatim ex claudicatione qvod regeret Atheus nanciſceretur. Tota videtur â Lucilio conficta eſſe fabula ad oſtentandam eruditionem qva Pontificiorum miracula, ſi non omnia Chriſtianorum ſub perſona Germani irridenda lectori propinat. Sed ita, *qvod exemplum*, pergit, *cum Germaniam peragrarem Atheo homini objeci, qvi meum teſtimonium non rejiciens, ut miraculum nullum eſſe oſtenderet duas ſubtiliſſimas excogitavit reſponſiones, qvarum prima fuit hæc: contigiſſe illud ex influxu aſtri ſacello prædominantis, probareqve hoc modo conatus eſt. Sanctorum imagines uno aliqvando die decem miracula edent, interdum vero decem in annis vix unum, qvod niſi ex aſtrorum influxu ac diſpoſitione provenire poteſt. Præterea uno in loco miraculis clarent, ſi alio transferantur aut omnino nullis aut certe non tam crebris. Virtus igitur mira-*

miraculorum loco alligata est & per consequens â sydereis influxibus dependeat necesse est. At futilis illa & anilis prorsus est responsio quandoquidem ab orbe condito locus ille astris propositus subjectusque fuit, cur igitur nulla ante hæc tempora miracula visa vel audita sunt? Quæsivit â me Atheus, cui syderum concursui imaginem subjectam putarent, ignorare me confessus sum libens, hoc unum, provinciam nostram leoni subjacere & soli, hinc refert Ptolomæus l. II. de Astr. jud. text. 16. incolas præstantiæ, benignitati, amicitiæque studere. Facile inducimur ut credamus Vaninum hic fingere fabulam ut suam de astris & vehementi imaginatione Doctorisque sui Pomponatii sententiam fulciat. Non est enim ista, quam profert sufficiens oppositorum refutatio cum ignorantiam suam profitetur in reddenda responsione de syderum concursu cui tum temporis subjectus is locus, miraculo clarus, fuit. Sed est ejusdem, ut puto, tacitus Vanini cum Atheis consensus qui refutando docere & langvida oppugnatione contrariam opinionem legenti persvadere cupit. Interim falsissimum est illapsum astrorum â natura cæco visum restituere, cum sit hoc miraculum sola Dei potentia producendum, id autem â causis naturalibus quæ eam non habent non potest effici (ut dictum est §. 18. c. I.) nec omnium inductione syderum unicum probari potest miraculum ab his effectum fuisse. Deniqve fieri non posse dicimus ut syderum illapsus miracula faciat cum sint opera Dei miracula, ex quibus is auctor cognosci vere debet qualis est nempe potentissimus omnium rerum effector earumqve quas nemo alius producere potest. Adeoqve inde illius gloria in cognitione nostra dependet. Gloriam vero suam nemini concedit. Esa. 42. v. 5 - 8. Ps. 72, v. 19. Ps. 136, v. 4. Ergo uti non

poteſt Deus concedere ſydera eſſe, vel ab hominibus haberi Deos, ita nec poteſt ipſis concedere opera infinitæ potentiæ qvæ ſunt miracula. *Altera reſponſio erat, cæcum vel ex vehementi imaginatione voti compotem factum eſſe. Hanc probavit* Ethnicus *â ſimili. Memoria traditum accepimus Regis cujusdam filium â nativitate mutum loqvelam accepiſſe ex nimio patri hoſtiles gladios fugienti deſiderio ſuccurrendi. Subriſi eqvidem. Qvid rides? ille. Ego: nonne Aſtrologum pudet, virtuti imaginativæ id tribuere qvod in aſtra commodius poteras retuliſſe, ut innuit Ptolomæus l. 2. text. 35. qvi ſic incipit: Impeditæ lingvæ ſunt & blæſæ & balbutientes qvotqvot Saturnum & Mercurium habent in prædictis angulis congredientes cum ſole. Maxime vero qvando & Mercurius occidentalis eſt & ambo cum luna configurantur. His vero forte adjunctus Mars ſolvere plerumqve ſolet lingvæ involutionem poſteaqvam luna illi obvia fuit, qvi textus Hæreticos ad aſtrologicam fidem deducere poſſet, inqvit Cardanus in illius expoſitione.* Si loqvitur ſerio Vaninus unde id probabit? Si per jocum cur tandem non refutavit Ptolomæi & Athei opinionem? aut cur errorem enutrivit adverſarii ſui juncta Ptolomæi ſententia? qvid eſt refutando docere infidelitatem in Dei naturam ſi hoc non eſt? *Sed fateamur,* Lucilius pergit, *mutum ex vi imaginativa locutum eſſe, nego tamen id fieri poſſe in cæco. Nam ille nihil novi effinxit ſed lingvæ duntaxat vinculum ſolvit, qvod vehemens imaginatio in non valde læſis (ut teſte Pomponatio hic Regis filius erat) efficere poteſt. In cæci vero illuminatione de majori agitur negotio utpote de formatione oculorum cum ſuis membranulis.* Verum hoc, ſed non candide adverſus Atheum profertur. Nam in libro de Arcanis Naturæ Atheos imaginariæ facul-

facultati omnes inferiores potentias ſervire, imo cum Cardano Magos Ægyptiorum ita ſerpentes produxiſſe putat Dial. LIX. p. 472. 480. Qvo ipſo argumento adverſus ipſum Atheus uti potuiſſet. Nam ſi hos valet creare imaginaria facultas cæcos etiam videntes reddet, præſertim ſi adhuc curari potuit oculorum ſuffuſio, tum enim materiam vitioſam qvæ cæcitatem fecit alium locum, ob mutatam corporis diſpoſitionem ex cauſis nobis ignotis naturalibus tamen, tanqvam commodiorem poſtea permanendi ſibi qvæſiviſſe ab hoſte dici poterat. Hinc iſtam objectionem diluere debuiſſet prius ſi ex animo Atheismum fuiſſet averſatus & refellere rite voluiſſet: aut non adducere Pontificiorum miracula in convincendis Atheis ne Chriſtiana inde religio magis proſtitueretur qvam aſſereretur. Nam ipſe ſolet nonnunqvam miracula Romanorum naturalibus cauſis adſcribere. (a)

(a) Dial. 57. p. 457.

§. 4.

Pergit tamen Lucilius enarratione ſua prodere qvam de aſtris ſubminiſtraverat excuſationem adverſario, ſibi non diſplicere ea de re hæc ſunt ejus verba: Objiciebat ille: *Illuminatus claudus evaſit, non igitur ex miraculo qvodam divino adeptus eſt lucem: qvippe* DEUS *non abſolvere & punire ſimul conſvevit. Naturæ igitur opus fuit. Cæcus enim qvicqvid virium habebat ad imaginationem pertraxit, qvibus uſa natura humanæ voluntatis ancilla, nobiliſſimum opus nempe oculos efformavit, viliorem corporis partem deſpiciens, utpote pedes, cui deſpicientiæ non refragatum eſt cœlum. Patiens enim ſublunа conſtitutus facile erat, hac autem cum in nodis & flexuris eſt aut in ſignis obnoxiis nimirum Ariete Tauro,*

Cancro Scorpio & Capricorno, claudicationes gignit ex Ptol. l. 3. 4. 58. Respondi ego in hunc modum: In claudicatione Dei opus deprehendunt in Schola Spiritus educati. Simile enim qvid legimus Gen. 34. de Jacobo victoriam ab Angelo reportante simul & claudicationem. Addidi insuper hujus miseri hominis imaginationem nihil præclari efficere potuisse utpote qvia debilis erat. Nam præcedente die, ut audiisse me memini in pane & aqva jejunarat, jejunantium autem imaginativa nullum potest præstare singulare opus ut in Ppysico-Magico docuimus. Num satis fecerit Athei objectionibus ista responsione videre qvilibet, qvi ponderat argumenta utriusqve sine negotio, poterit. *At subjunxit* in illius enarratione *Atheus. Finxit ille se claudum cum tamen non esset qvia cæcus assvetus erat mendicare (mendicantium autem vita omnium jucundissima est,) jam vero ab astris lumen adeptus fodere cogebatur & in sudore vultus manducare panem. Conducibilius palato suo duxit devota cantiuncula optima fercula â mulierculis extorqvere earumqve consortio perfrui miraculum apud illos enarrando deprædicandoqve. At nugæ illæ mihi facessant tandem. Qvodsi enim effigiem illius etiamnum calleo, in illius ortu solem in libra fuisse facile erat divinare exfronte & capillis, ex Veneris qvoqve sydere aliqvid traxisse æreus faciei color præsignabat qvinimo Venus suam in libro domum habebat. Sedvaleant iterum abeantqve Astronomorum fabellæ & deliria qvæ detestari me prorsus execrariqve confiteor, in medium tamen adduxi ut inertia præceptorum ineptiaqve patefieret.* Num ista detestatione & execratione eos voluerit terrere qvi astris multa tribuerunt in fingenda natura hominis aut ipse mentem suam qva candorem cœci astris adscripsit, dissimulare, judicent hi qvi callidum e-

jus

jus animum Atheis bene cupientem nôrint. Nos aſtra non poſſe miracula facere brevibus jam probatum dedimus. (b)

(a] Theatr. Exerc. 8. (b] Vid. §. præced, tertium hujus capitis.

§. 5.

Ita multis in Germania urbibus perluſtratis Vaninus in Bohemiam usqve penetravit ubi non ſolum cum pontificiis ſed & iis qvi literis Majeſtatis imperante Rudolpho in libertate religionis confirmati erant, & nomine ſtatuum ſub utraqve ſacram cænam capientium comprehendebantur creberrima Vanino colloqvia interceſſerunt. Nam & Anabaptiſtarum tum temporis magnus erat numerus qvi lites inter Catholicos eorumqve adverſarios Huſſitas vili æſtimarunt nihil eſſe prætendentes qvod illos â fraterna fidei unione ſegregaret dum omnes ſymbolo Chriſtianorum univerſali ſubſcriberent. Id qvod Vaninus in Bohemia magnopere ibidem impugnaſſe gloriatur ſcribens: *Forte fortuito conveni qvendam Anabaptiſtam qvi dicere non eſt veritus Catholicorum & Hæreticorum controverſias eſſe qvæſtiones delana caprina, nam Apoſtolico, Nicæno, Conſtantinopolitano & Divi Athaniſii Symbolo pariter ambo ſubſcribunt. At ego dixi, qvantum diſtat â veritàte mendacium tantum â Catholicis Hæretici differunt.* (a] Qvodſi vero Anabaptiſtas â Pontificiis maxime differre dixit, num propterea ad ſilentium redactus eſt opponens aut ipſe forſitan aliis affinxit qvod ſenſit Vaninus?

(a) Lib. de Arcanis p. 349.

§. 6.

Poſt hoc tempus ê Bohemia redux in Belgium iter fecit ubi qvendam Amſterodami narrat Atheum dixiſſe Divum Paulum de Chriſtiana religione optime meritum

qvia non aliud in votis habuiſſet qvam Chriſtianorum animos ſimplicitate imbuere, *qvare Sacramentum dixiſſet conjugium, Chriſti & Eccleſiæ conjunctionem præſignificans*, rogaſſetqve maritos ut diligerent ſicuti Chriſtus dilexiſſet Eccleſiam. *Sic enim* (Atheum dixiſſe refert) *conjuges tam eximiam immaculati conjugalis thori excellentiam ſecum animo depingentes ejus ideam tenaciter imprimunt qvare Chriſtiani qvodammodo naſcuntur.* Reſpondit vero Vaninus: *Satanicæ huic calliditati occurrit Johannes dum in Spiritu Sancto conſtitutus intonuit: dedit eis poteſtatem filios Dei fieri non qvi ex ſangvinibus neqve ex voluntate carnis ſed qvi ex Deo nati ſunt.* Qvid autem fidei habendum ſit Lucilio infra videbimus ubi ipſam Scripturæ auctoritatem in dubium vocat: nos eam propterea fuſius paulò ſuperius probavimus ſuperius, ne animos clandeſtinæ fraudis inexpertos offenderemus hac materia & majore fide qvam Vaninus lectori impios refellere videremur. Cum vero negaſſet Lucilius imbecilles Chriſtianorum animos, qvinimo omnium fortiſſimos dixiſſet, ut glorioſa martyrum certamina teſtantur, *blaſphemus alter retulit hæc ad validam imaginativæ facultatem & honoris cupedias nec non ad humorem hypochondrianum. Addebat in qvocunqve religione licet obſurdiſſima ut: Turcarum indorum & noſtri ſeculi Hæreticorum adeſſe infinitum propemodum ſtultorum numerum qvi pro patriæ religionis tutela ultro ſe tormentis objecerint: & cum plura ex Hiſtoricis exempla recitaſſet Anglo-Calvinianorum meminit qvi Marianis temporibus in Anglia pro Calviniſmo vitam cum morte commutare non exhorruerunt. Tunc ego Zelo Dei inflammatus appellavi illum Antichriſtum.* Sed cur non Athei refutavit objecta Vaninus? num & ipſe ſanctorum miracula & martyria ad

arca-

arcanam Naturæ Deæ operationem referri voluit? Nam in qvarta hujus libri parte ubi Ethnicorum religionem naturalibus cauſis adſcribit hæc ipſa primum recitat.(a) Si tacendo cum Atheo ſuo in eandem ſententiam conſpiravit, qvi fortitudinem marryrum ad validam imaginariæ virtutis facultatem qvaſi Deam ipſis auxiliariam in omnibus tolerandis referre vult, qvi factum ut ſæpe in carceribus adeo fame macerati fuerint ut umbras potius qvam homines dixiſſes? Facultatem enim imaginariam non efficere qvidqvam præclari dixit Vaninus in Jejunis & debilibus. Num qvi milleni eodem die ſæpe horrenda ſunt fortiter paſſi, Chriſtianorum omnes melancholicæ fuerunt complexionis? Paſſiones corporis mente captos ad ſanitatem reducere ſolent, horum verò nulli iſto, qvod Ethnicis viſum, morbo plagis ſaniores redditi. Imo qvi crucis pœnas non tolerantes delicati â veritate deſciverunt nulli unqvam dubitarunt qvin tam ſani in iſtac religione mente, qvam poſt abnegaram fuerint. Imo ſaniores fuiſſe probaverunt qvi ad meliorem frugem reducti cum lacrimis & ſuſpiriis redierunt ad Eccleſiam & forti tandem animo vitam ſub cruce poſuerunt. Honoris cupedias qvis diceret illexiſſe martyres ad tolerandа ſupplicia cum ſæpe pueros vix ſexennes heroum inſtar omnia adultorum ſupplicia pertuliſſe conſtet? Tot Turcas & Indos & Curtios Romanos eorumqve infinitum numerum nec Atheus vel Vaninus probare unqvam poterit. Unus erat homo qvi ebrius in antrum urbis ſe præcipitem dedit, qvippevino cibisqve nõ amplius mentis compos facile ſpernebat mortem cujus tamen dolores ſentiens miſerrimo ululatu audito patefecit qvam pœniteret facti qvod ex ambitione futuræ poſt mortem gloriæ aut ſi rectius dicere volumus libidinis ſuæ luxuriæqve

impunè exercendæ cauſa improvidus futuri promiſerat. Chriſtiani non ebrii ſed jejuni, non ululantes ſed gaudentes, tam ſenes qvam pueri fortiter mortem oppetierunt idqve non obſui ſed Dei gloriam. Qvi temporibus Mariæ Reginæ Angliæ mori potius qvam abuſus Pontificiorum approbare voluerunt & id virtute Dei glorioſe ſuſtinuerunt, illi mea qvidem ſententia his de cauſis injuſte Hæreticis â Pontificiis & Lucilio annumerantur.

(a) Arc. Nat. Part. 4 p. 357.

§. 7.

Qvid ille? qværit poſt hæc in relatione Vaninus & reſpondet Julii Cæſaris nomine: *Subriſit. Cui ego,* pergit *cur rides? Qvia fabuloſæ ſunt qvæ de Antichriſto narrationes circumferuntur nam Paulus aſſerebat jam jam adventum Chriſti inſtare, cum tamen ultra millenos ſexcenti anni jam præterierint absqve ullo adventus Antichriſtiani indicio. Reſpondebam ego, Divum Paulum prænunciaſſe de Ebione & Cerintho qvi vere Antichriſti dici poterant, nam CHriſtum JESUM divinitate ſpoliare nitebantur. Sic & omnes Hæretici â ſacro ſancta Romana Eccleſia deficientes Antichriſti cognominantur. Ad hæc obmutuit paululum deinde hæc verba protulit: ô admirabilem CHriſti ſapientiam! Tunc ego hilaris qvod reſipiſceret, ſed me ſefellit opinio. Nam ſic obmurmurabat: Chriſtus â judæis interrogatus, num lapidibus obruenda eſſet adultera, non abnegat, qvia lex obſtabat: nec affirmat qvia crudelis animi præbuiſſet exemplum qvod complures â ſua lege avocare facile poterat ſed reſpondit: Qvi ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat, qvare nemo adulteram damnare auſus eſt. Alias petierunt Scribæ: An Cæſare tributo ſolvendo eſſent obnoxii: Negare veritus eſt ne læſæ majeſtatis reus dijudicaretur, affirmare noluit qvia*

qvia Moſis legem evertebat: ipſe autem (more novitii Principis, qvi imbecilles cum ſint ei vires omnes veteres immunitates regno ſe conſervaturum pollicetur: at cum fortior evadit, promiſſis ſtare recuſat) in initio dixerat: Non veni ſolvere ſed adimplere legem qvam tamen funditus poſtea clarus nomine evertit. Reſpondit igitur: cujus eſt hæc imago? At illi: Cæſaris. Concludit: Reddite ergo qvæ ſunt Cæſaris Cæſari & qvæ ſunt Dei Deo. Sciſcitantibus Phariſæis in qva poteſtate gentes doceret, undiqve eſſe anguſtias advertit. Si dixiſſet in humana, mendacii arguebatur, non enim Hebræorum ſacris erat initiatus: Divinitus ſibi datam auctoritatem palam affirmare non audebat ob metum Judæorum. Igitur ſubtiliſſime ipſe petiit in qva poteſtate Johannes baptizaret: qvare pari in periculo ipſe conſtituit Phariſæos. *Deo tribuere johannis prædicationem, politica vetabat ratio ſeipſos enim qvi ei reductati erant, illico condemnaſſent: neqve dicere audebant Johannis baptiſmum fuiſſe hominis inventiunculam nam credulæ plebis iram ſibi comparaſſent.* Dum omnes has diſputationes accidiſſe ſibi narrat, in ultimo vero libro Arcanorum Naturæ Ethnicos refutaturus prophetias, ægrorumqve ſanationes omnes ſive Chriſtianorum ſive Ethnicorum naturalibus cauſis adſcribit imo propter hanc ipſam in Chriſtum impietatem Lucilius damnatus ſit, nemo non videt Atheo affingere qvod ipſe Atheus credidit.

§. 8.

Fictus tamen ſive verus ſit Atheus ille, dicti Paulini male intellecti objectione ſtolidiſſime verbum Dei dubium reddere voluit. Scripſerat Apoſtolus Theſſalonicenſibus de tempore adventus Chriſti (a) (qvod titillabat aures curioſorum) tantum qvantum lectu his opus erat:

erat: dies Domini ingruet instar furis nocturni. Qvod scire his sufficiebat ut omnes semper parati essent morum sanctitate illum expectare. His enim si revelasset Deus eorum ævo non venturum hunc diem, animi invitia proni facile securi fuissent redditi. At illi verba Pauli aliter ac ipse protulerat, intelligentes jam tum instare diem Domini putabant, qvare serio hac sententia eos dehortabatur Paulus epistola posteriore. (b) Nam Qvodsi tempore elapso vidissent rem non impletam, ut sibi visum fuerat ex verbis Apostoli, magno salutis suæ detrimento de cæteris qvoqve verbis ejus ansam dubitandi cepissent, licet id Pauli culpa non accidisset. Ad istud præcavendum certa ante adventum signa ipsis præsignificabat; Defectionem & manifestationem Antichristi Hujus mysterium iniqvitatis jam suo tempore elaborari dicebat Paulus,, & hoc est qvod male habet Atheum. Sed enim per hunc Antichristum sive hominem intelligas qvi in Templo Dei id est Ecclesia Christiana sedet seqve super omne Divinum sanctum & venerabile extollit Divinam sibi potentiam arrogans contra Christianæ vitæ humilitatem (qvo sensu in Ecclesia Romana qvidam suos Pontifices ipsimet Catholici tam accurate descripserunt ut citra dubium iis nomen & rem ipsam Antichristi convenire ab omnibus facile cognoscatur) non erat absonum dicere in Ecclesia Dei jam tum temporis ἀποστασίαν â falsis Apostolis Dominiumqve in animas Christi sangvine redemtas qværi, qvod graves Pauli in literis suis qverimoniæ satis superqve innuunt. Sive per Antichristum Simonem Magum hic indicari velis, qvod cum Patribus Ecclesiæ qvibusdam convenit idem sentientibus, tum utiqve eam iniqvitatem jam cudi eadem veritate dici poterat. Seu per defectionem populi

juda-

judaici adverſus Romanos rebellionem filiumqve perditionis in templo Dei id eſt Hieroſolymitano ſedentem, Zelotas & Idumæos in templo loco Dei ſedentes & ſangvine civium fœde id ipſum inundantes ſub ducibus, primos Eleazare, poſteriores Johanne. Eandem rem jam moliri qvosdam recte qvoqve poterat â Paulo præſignificari.

[a] 1. Theſſ. V, 1. 2 (b] 2. Theſſ. II, 1 - 12. Joſeph. bell. jud. l. 6. c. 1. & 11.

§. 9.

Sapientiſſimum qvoqve ſeu potius callidum impius homo Chriſtum probare voluit hiſtoria illâ qvam Johannes c. IIX. refert, qvaſi non aperte qvod divinitatis eſſe putat, ſed callide ſimulando rem ſuam egiſſet. At nihil iſtoc ſanctitati divinæ decedit ſi fallaces in ipſa fallacia detrudat tanto magis divinitatem ipſorum conſcientiæ probans qvo minus nudum hominem ſe extricare poſſe putarunt. Contra Moſis legem adulteram ſi voluiſſet abſolvere iisqve ad interrogata reſpondere, Chriſtum neceſſario aliqvid in conſpectu prolaturum hoc dolo ſtructo confidebant: Et ipſa Chriſti reſponſio, ſi ſolius hominis fuiſſet, non conjuncta viribus Divinis non mutos ſola reddidiſſet Phariſæos, qvinimo ad verba: qvi veſtrum ſine peccato eſt ipſe primus lapidem in eam mittat: regerere adverſarii potuiſſent: Ergone tu teſtes vel judices deſideras qvi non ſunt ulli peccato obnoxii? Hinc vel ſuſpicionem in mente ſubnatam Chriſtum eſſe detecturum ipſorum adulteria aliaqve graviora crimina ſi rogando inſtarent, qvod facere data occaſione, non prætermittebat. (Matth. XVI, 4. XXIII, 3 - 7.) Vel divina virtute timorem conſcientiæ incuſſum ſenſusqve hebetatos fuiſſe, non abs re colligitur. Hujusmodi reſponſione adverſarium ad ſilentium perducere ultra hu-

manam ſapientiam ſoliusqve Dei eſt. Non abnegaſſe Chriſtum adulteræ poenam timore legis obſtantis ſtolide cauſatur irriſor, nam abſolvendo eam ſane contra legem Moſis fecerat: nec qvæſtionem affirmaſſe ne plures crudelitate â ſe averteret, non poteſt dici; nam â ſui Chriſtus amore plures forte adulterio inimicos in populo deterruiſſet potius adulteram abſolvendo qvam alios allexiſſet ſi humano res acta conſilio fuiſſet. Simili modo fallitur miſerrimus homo cum Chriſtum putat noluiſſe affirmare tributum â Judæis Cæſari ſolvendum qvippe apertis hoc verbis innuerat dicendo: Date, qvæ ſunt Cæſaris Cæſari. Legem qvoqve Moſis funditus evertiſſe Chriſtum inſigni mendacio blaterat Atheus. Nullam enim legis naturæ ſeu morum regulam ſuſtulit, imo â perverſa Phariſæorum explicatione hanc ipſam vindicavit. Cerimoniarum leges & fori judaïci non debebant ex Dei decreto, ſtatu judæorum politico everſo, diutius durare. Dan. IX, 27. XII, 11. Matth. XXIII, 38. Imo tantum abeſt Chriſtum derogationem legum harum diſſimulaſſe ut qvæ cerimoniarum eſſent in ore ipſorum non obſervando nonnunqvam abolere inciperet Matth. XII, 13. Joh. V, 8. 9. Qvod ſupereſt, non auſum, inqvit, fuiſſe Chriſtum palam affirmare ob metum judæorum divinitus ſibi datam auctoritatem docendi. Id vero nemo niſi hoſpes in lectione ſacrarum literarum fatebitur. Qvo magis apparet hunc Atheum (vel Vaninum dixero) nihil eum librum æſtimaſſe cujus divinitatem rejicit qvia nullum ſupereſt exemplar ſanctorum manibus miniſtrorum Dei exaratum. Profecto nihil minus Chriſtum ſapientiſſima ſua interrogatione qvam effugium ex metu qvæſiviſſe apparet ex hac reſponſione ultima: Ergo nec ego vobis dico qva poteſtate doceam. Seniorum enim

nim populi erat inqvirere in novos doctores & reſponſionem detrectantes tradere puniendos. Sed non ſunt auſi ante decretum â patre tempus ipſum comprehendere, & cum forte auderent vano niſu id factum eſt. Joh. VII, 44 - 46.

§. 10.

Sapientiſſima hæc ſunt Chriſti acta (ita pergit ſecundum Vanini relationem Atheus) *ſed qvod omnium ſuperat admirationem illud eſt de Antichriſti adventu vaticinari, ſic enim optime conſultum eſt Chriſtianæ legis æternitati. Tunc ego iratus dixi. Qvid fingis? Qvid ſomnias? Audi inqvit ille, vetuſtæ legis Prophetæ cecinerunt Meſſiam futurum virum magnum omnibus exornatum virtutum dotibus, omni cultu & veneratione digniſſimum; qvare occaſionem præbebant compluribus fingendi ſe Meſſiam ut illas præ excelſas nominis laudes qvæ omnium titillant animos conſeqverentur.* Id omne â veritate longe remotiſſimum eſſe omnes ſanæ mentis lectores Scripturæ confitebuntur. Non ſane dederunt occaſionem pluribus Prophetæ fingendi ſe Meſſiam qvia certum tempus, locum, genus, ortumqve non ex natura creandum naſcituri Meſſiæ clariſſime prædixerunt. Imo Antichriſti qvoqve mentio facta cujus deſcriptionem Dan. XII. legebant ipſimet Judæi. Hinc deterriti potius ſunt Meſſiæ gloriam fraude qværere qvam allecti. Nimirum eſt hoc Atheorum ingenium ut omnia qvæ Deus optime facit in peſſimam ſignificationem apud indoctos vulgumqve detorqveant. Sunt enim Phariſæis moribus ſimillimi, qvi cum Chriſtus ejiceret Dæmonia, ope Diaboli îd facere; cum pœnitentia vitæ male actæ ductos ſolaretur, Samaritam eſſe; conviviis præſentem, hominem ebrium, ſplendide mentiebantur. Eodem animo

pergit hoſtis ille Divinitatis: *At Chriſtus Prophetarum ſapientiſſimus prædixit venturum novum legislatorem legi ſuæ adverſarium qvi erit Deo inviſus, aſſecla Dæmonum, vitiorum omnium ſentina & orbis deſolatio: qvare nemo finget ſe Antichriſtum cum non niſi dedecus & infamiam inde conſeqvi poſſit. Abſente Antichriſto Chriſti lex perennabit.* Non abludit autem Athei hæc objectio ab illa: Dei cultum & exiſtentiam propterea urgent Chriſtiani ut populum coerceant & tranqville imperare eidem poſſint ſuperiores. Nam licet religionis noſtræ principia ad vitam magiſtratui obſeqventem omnes degendam compellant, non tamen hæc prima nec ſola cauſa ejus ſed obedientia eſt ſupremo numini debita. Pari modo non id primum ſtabiliendæ gloriæ Chriſti vel duraturæ religionis Chriſtianæ fundamentum eſt, licet qvisqve pius eo magis abſterreatur ea prædictione ab iſto Antichriſtiani ſcelere & defectione fidei. Verum iſtud non principaliter â Chriſto intenditur. Sed vitæ noſtræ cautio ne in iſta tentatione Eccleſiæ qvâ ipſe CHriſtus DEUS noſter fideles ſuos probare vult, ſeduci nos patiamur â vero Dei verbo: Matth. XXIV, 4. 5. 23. 24. Non enim talis potentia cuiqvam obtingit ſine Dei permiſſione qvalis Antichriſto. Nemo dominus multarum poteſt regionum fieri, regnaqve diſtribuere ſuis niſi Deus ipſi conceſſerit Dan. XII, 39. IV, 22. 31. 32. Nonne improbi capitis eſt dominum qvi monet in futura tentatione in qva vitæ periculum adit cautum eſſe ſervum irridere dicteriis hisce: Eja, bone vir, tu qvidem ſapientiſſimus es qvi monitis tuis temet ipſum honorari cupis qvam ob rem me de re futura inſtruis ut ſervos habeas vitæ periculo evadentes? Sed audiamus qvid ipſe Lucilius ad iſta reſponderit cujus hæc ſunt verba: *Qvas exe-*

execrandas blasphemias ſic ergo perſtrinxi. At ſacri vates prædixerunt Meſſiam contumelioſæ morti fore damnandum qvare non niſi ſtultus vel Deus tanto vitæ diſcrimini ſe expoſuiſſet: at Chriſtus ſe expoſuit ergo vel ſtultus vel Deus erat: at per te non fuit ſtultus (ſed qvi legerit Athei verba per ironiam Chriſto ſapientiam tribuiſſe videbit) *imo ſapientiſſimus; Deus ergo. Sed qvid ille? Reſpondit: Sapientis eſt breviſſimos juxta & incertiſſimos ac laborioſiſſimos noſtræ vitæ dies contemnere pro æterni nominis gloria apud poſteros comparanda.* (Et hæc eſt Lucilii ſententia qvam inferius non ſine ſtupore ſcripto traditam inveniemus.) Pergit tamen hic loci Lucilius ſe objeciſſe qvod Antichriſtus apud Hebræos in maximo honore eſſet futurus & æſtimatione ſanctitatis & potentiæ & Divinæ qvodammodo cognationis. Sed Atheum miratum eſſe cur adeo ſtolidi eſſent Hebræi omnes ut nullus ex eis auderet ſe Meſſiam fingere, qvod factu perfacile eſſet. Namqve eruditum Philoſophum ad impleturum eſſe qvæ Daniel aliiqve Hebræorum Prophetæ de Antichriſto vaticinati eſſent. Poſt hæc ſuam inſpergit Vaninus narrationem, *imo Venetiis* inqviens, *cum eſſem, novi impuriſſimum impoſtorem Hebræum qvi ſuis perſvadebat Meſſiam primo vere nova pluvia ſe demiſſurum: cum ranunculis addebam ego.* Ita Vaninus. Poſt Atheus: *unum duntaxat vero ſimile de Antichriſto ſcriptum inveniiur mors ejus turpiſſima. Hæc enim ex novæ lege tropæa & ſpolia auctores reportant: Eſaias ſub Manaſſe Rege ſerra diſſectus: Hieremiam populus lapidibus obruit: Amos vecte transfoſſus: Johannes Baptiſta capite multatus: Chriſtus in cruce ſuſpenſus eſt. Objecit Lucilius: oblatus eſt Chriſtus qvia ipſe voluit. Moiſes fuit legislator, non tamen publicæ morti damnatus.* Mortem Anti-

christi turpissimam unice vero similem legi putat in scriptura Atheus, nec qvod Vaninus respondeat, habet. Sed falso hoc asseritur. Omnia qvæ de eo prædicta sunt in sacra scriptura, sine dubio sunt vera, huic credendum in omnibus est ceu verbo Dei undiqvaqve verissimo. Nam illum codicem qvem nos dicimus verum Dei verbum esse supra probatum fuit. Et qvæ de Mosis exemplo protulit Lucilius non refutant objecta Athei sed ansam denuo subministrant plura infidelia proferendi, qvo magis opinione trahimur hunc suas non alterius Athei oppositiones hic congessisse. Hoc enim patet ex seqventibus.

§. II.

At ille respondit: discriminis ratio ea est qvia Christus semper inermis erat; omnes autem (inqvit Machiavellus qvi veritatem tueri sine armis voluerunt misere periere. Hoc iterum Eliæ exemplo Elisæi aliorumqve falsum evincitur. Et, si hoc verum de Christo fuisset dicere, cur missi â senatu lictores non capiebant inermem? Joh. VII, 46. Cur armati recedentes corruebant ad unius viri vocem: Ego sum! Cur non discipulos cum captus diceret: si me qværitis hos omittite; cur non hos inqvam, cum ipso una capiebant, si arma contra Christum valuerunt, aut sine armis nihil defensionis esset Doctoribus Ecclesiæ? Christus inermis & captivus hostibus suis imperavit jubens missos facerent suos & factum est Joh. XIIX, 8. 9. *At Moses* obgannit porro, *semper armatus incedebat, vicies qvater mille idololatras tanqvam suæ legi adversarios unico congressu interfecit, ut omittam illud: cum ab Ægypto Hebræi exulare regio mandato cogerentur qvia scabie & lepra Ægyptios infestabant, Moses illorum exulum ducem se fecit multoqve ejus persvasione auro*

auro & argento ſubfurato lucrifugi abierunt & poſt multa itineris pericula ſuperata ad tutum locum ſeptimo die pervenere, id circo diem illum Deo conſecrandum mandavit Moſes ut ſuo imperio ſupremum Numen favere oſtenderet plebi, qvæ ſic inſtructa Moſis ſervitute facilius continebatur. Hic ego Iuſtini inſomnia patefici ut Atheus ille amplius non reclamaret, at Moſen laudabat qvia vivus ſe in abyſſum dejecit, ut cum non ad inveniretur in cœlum elevatum populus crederet, alioqvin ſi Moſis cadaver conſpexiſſet in Divorum numero non retuliſſet. Negavi ego, nam aliorum Patriarcharum cineres erant apud Hebræos nec propterea in honore ſanctitatis eſſe deſierunt. At ille: Majorem ſuper omnes Patriarchas honorem Moiſes ambiebat, qvare de ſeipſo ſic Deum locutum eſſe dicebat: conſtitui te Deum Pharaonis. Ut igitur Deus haberetur morti ſe non eſſe obnoxium ſuis teſtatum reliqvit. Tunc ego Belgici cœli accolas Atheos inclamabam: at ille, inqvit: imo Cardanus veſter idem de Helia cenſuit. (a) Facit hic ut ipſi ſolenne eſt, Lucilius, ad ultimam objectionem de, ambitione Moſis nihil reſpondet. Et qvi poſſet aliter cum ſcripturam ſacram teſtem humilitatis Moſaicæ rejiciat, qvæ ſola rei præteritæ ſpectatrix ſupereſt. Ea vero Divina veritate Moſen, memorat, non ſemper armatum inceſſiſſe, qvia ſæpe factum ut omnis populus in ipſum inſurgeret ut nullus refugii locus niſi Dei ſolius præſidium ſupereſſet Num. XII. XIV. XVI. Plures ſane fuerant vituli cultores qvam qvi manſerant in officio religionis, nec his ut reſtitiſſent illi non potuit niſi divino terrore incuſſo fieri, cum alias mortem Moſi minitari ſolerent ſi qvid moleſtiarum ipſis perpetiendum in via eſſet, qvod ſane non tam grave eſt qvam ſi tot millia hominum excarnificantur, Exod. XVI, 3-7. XVII, 4. Ægypti-

gyptiorum Rex non expulit judæos, imo noluit petentibus abitum concedere Exod. V, 2. VIII, 8, 15, 20, 29, 32. Scabie & lepra infeſtaſſe Ægyptios ambigue dicitur dum propter judæos â Deo punitos eſſe lepra & ſcabie Ægyptios ſignificare poteſt Exod. IX, 10. verum ſi qvod ægroti judæi Ægyptios infecerint ſenſus intenditur, hoc eſt falſum cum aperte in ſcriptura dicatur poſt immiſſam ranarum plagam, terram Iſraëlitarum eorumqve habitacula reliqvis ſeqventibus exemta fuiſſe Exod. IIX, 22. 23. IX, 6. 7. 26. qvod ad locuſtas attinet, ſi idem pœnæ terræ Goſen obveniſſe ob ſilentium Scripturæ urgeas factum id ſine damno judæorum eſt qvi brevi poſt omnem terram ita devaſtatam erant relicturi. Seqventi primæ geniturae pœna exemtos eſſe innuitur c. XI, 7. Moſes non ducem ſe fecerat invitus ire juſſus eductum ex Ægypto populum Exod. IV, 10. 11. 13. 14. 22. Aurum non Moſis perſvaſione ſed Dei juſſu nec ſubfurati ſunt ſed mercedem ſuorum laborum eo modo ſecundum Dei mandatum receperunt qvi inclinavit Ægyptiorum animos in liberalitem. Non peccarunt eripiendo aliena ſed Dei juſſa executi ſunt ſua â dantibus accipiendo. Qvicqvid in hoc mundo eſt ejus eſſe intelligendum eſt, cui ſupremus mundi dominus id conceſſerit. Is vero ultor illatarum injuriarum labores voluit in ædificandis urbibus â populo judaico impenſos ab incolis ejus regionis compenſari qvorum commodo hæ urbes ſtructæ erant. Illis namqve otioſis ſoli judæi laboraverant non ſibi ſed Ægyptiis. Exod. III, 22. XI, 1. 2. XII, 36. Septimo jam die ad montem Sinaiticum perveniſſe judæos ê juſtino habet infideli ſcriptore deriſor religionis ſed qvi partium ſtudio ductus non eſt tantæ ſanctitatis ut falſum hoc loco ſcribere non erubeſcat, qvippe in ſuam ipſius ignomini-

miniam ſuæqve religionis turpem deriſionem verum fateretur. Et ratio ipſa ſvadet illi potius credendum Hiſtorico qvi in itinere cum judæis una fuit Moſi nempe qvam Ethnicis qvi auditu ſolum id perceperant & ſi qvid ipſis ingratum eſſet in perverſam explicationem narrantes detorqvebant. Septem dierum jejunio hic Moſen ſcribit ex Ægypto ad montem Sinam veniſſe. Juſt. l. XXXVI, 2. At Moſes Dux ipſe & comes populi in itinere tertio ab exitu menſe eo perveniſſe ſcribit Exod. XIX, 1. cui plus fidei debetur juſtinoneqvi ab hoſtibus judæorum poſt multos ex qvo res geſta erat annos inprimis ex Trogo Pompejo id acceperat an Moſi teſti oculato, cui in re ad religiones judaicam vel Ethnicam indifferenti nullo mendacio opus fuit? (b) Alia de origine judæorum leguntur in Tacit. Hiſt. V. c. Ex qva contradictione Ethnicorum ſatis conſtat illis in referendis rebus ſibi Romanisqve omnibus incognitis & exauditu ac non certis auctoribus hauſtis fidem haberi non poſſe.

[a] De Nat. Dea dial. 50. [b]

§. 12.

Similiter ſeptimus præcipue dies cur celebratus ſit â populo non cauſam eductionis ſeptimo die finitæ, dare poſſumus ſed memoriam creationis divinæ qvæ hoc die abſoluta eſt & inter judæos ſervari hoc ritu ſolenni perpetuo debuit Exod. XX, 11. XXXI, 17. Gen. II, 1. 2. 3. Unicus eſt locus Devt. V, 15. ubi dicitur Deus præcepiſſe Iſraëli celebrationem Sabbati ut recordaretur eductionis divinæ ex Ægypto, ubi nulla fit mentio ſeptimi diei qvo ad montem Sinam pertigiſſent judæi. Porro Sabbatum â Moſe inſtitutum ut populus in ſervitute illius facilius contineretur, id oppido falſum eſt. Moſes enim non ambierat principatum, obtruſum ipſi potius â Deo offi-

cium invito erat ut antea probavimus. Nunc plures & pares pati potuiſſe Moſen probamus his locis: Num. XI, 11. 28. 29. Exod. IV, 14, 15. VI, 12, 13. Exod. XXXII, 10. 11. Si gloriæ cupiditate abreptus fuiſſet Moſes qvî Deo offerenti aptiſſimam honori conſeqvendæ conditionem precando reſtitiſſet? Moſen ſe vivum in abyſſum dejeciſſe, cum resfacti ſit, teſtibus probare debuiſſet; horum cum nulli adſint eadem facilitate res negari poteſt qva affirmata fuit. Sed contrarium directe probamus infallibili Dei verbo Deut. XXXIV, 5, 6. Non negatur de ſeipſo narraſſe Moſen hæc verba: Eris tu ipſi in Deum: Exod. IV, 16. Conſtitui te Pharaonis Deum VII, 1. Sed ita ut nullus apex ullius oſtentationis â Moſe ob eam rem nec in narratione nec ipſa vitæ conditione poſſit inveniri. Et ſi Moſes intendiſſet hac locutione honorem Divinum non ſane Deum ſe potentiorem hæc ſibi dixiſſe, imprudens affirmaſſet. Imo Deum eſſe unum dum dixerat alterum ſemet ſtatui Deum vetuit. Deut. VI, 4. V, 7. Atqve adeo verbis his non ſeſe extuliſſe patet extenuatione gravi qvæ legitur Exod. XVI, 7. 8. Qvod ad ipſa vero verba attinet ê lectione horum verus ille ſenſus levi opera eruitur vocem Dei ſimilitudine non proprio ſignificatu prolatam eſſe, ſi modo omnes perſonæ earumqve in legatione Dei veri officium attenditur. Obtinuerat â Deo Moſes ne iſolus iret ad Pharaonem nec lingva-præditus difficili loqveretur ſed Aaron; cum eo tamen id conceſſerat Moſi Deus, ut is ſemper Aaronem qvid diceret, ante inſtrueret. Ita Moſes oraculo ſimilis, Aaron Prophetæ præſertim cum in alio tertio hoc Prophetæ nomen etiam qvadraret in Aaronem qvô æqve Divinas res & futuras Dei plagas innueret. Et cum, divinæ ex Moſis nutu plagæ ſemper Pharaonis regionem tangerent,

Rex

Rex etiam cogeretur Moſen ſemper rogare ut mala remitterent, cujus etiam precibus ſiſtebantur priora & nova ſuccedebant: hinc Moſes inſtar Dei, Aaron Prophetæ & Pharao inſtar hominis erat qvi ex arbitrio ſuperioris tanqvam Dei vel puniretur vel delicti veniam impetraret. Qvam de Eliæ qvoqve morte opinionem Atheorum retulit Cardanus ſuam expreſſe dicere nolens Scriptura aperte refutat 2. Reg. II, 11. Imo qvi fieri hoc ab Elia potuiſſet qvem Eliſa perpetuo comitabatur v. 2. qvin fraudem animadvertiſſet comes? Neqve in ea regione qva vivus in cœlum deportatus eſt fuerunt montes ignivomi. Sed enim omnes ê ſcriptura probationes licet ſatis firmas non credit Atheus qvamdiu non eſt in conſcientia de divinitate ejus convictus. Nimirum ſupra nos dedimus divinitatem ejus probatam qvibus argumentis rite penſitatis ſi accedat ipſa ſcripturæ absqve præjudicio lectio nemini deerit gratia Spiritus Sancti qvin hæc ita ſe habere firmiter credere poſſit.

(a) Tota vero Athei cum Vanino diſputatio deſcribitur: de Nat. Dea: dial. 50. p. 354 - 361.

§. 13.

Conſimilem errorem Amſterodami poſt hæc, narrat, cujusdam Athei contudiſſe, *has ille* inqviens, *neſcio qvo miſero funeſtoqve fato compulſus delirans evomebat blaſphemias; Ex Bibliorum contextu infertur Dæmonem Deo prævalere. Reluctante Dei voluntate Adamum & Evam totumqve genus humanum ad interitum duxit: cumqve malo huic Dei filius occurrere vellet & ipſo etiam Dæmone judicium animos ſollicitante, Chriſtus aſſerit, hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum, morte turpiſſima damnatus eſt. Efficacior eſt (aſſerebat ille) juxta biblicum codicem Diaboli qvam Dei voluntas, Vult Deus omnes homi-*

homines ſalvos fieri, perpauci tamen ſervantur: vult Dæmon damnari omnes, innumeri damnantur. Ex ampliſſimo terræ gremio ſoli Chriſtiano-Catholici qvi in anguſtiſſimis Italiæ Hiſpaniæ, nonnullarum Galliæ, Germaniæ & Poloniæ provinciarum limitibus continentur, ſervari poſſunt: ab his, ſi aufferas judæos, occultos Hæreticos, Atheos Blasphemos, Simoniacos, Adulteros, Maſculorum concubitores qvi regnum Dei non poſſidebunt, vix ê mille millibus unus electus aderit. Sic & veteri lege totus mundus Dæmoni inſerviebat. Soli Hebræi qvorum regni amplitudo Britanniæ inſula minor erat, Deum agnoſcebant, ſæpiſſime ab ejus cultu defecerunt, cumqve Deum colebant, calamitatibus & miſeriis â Dæmone inflictis opprimebantur. Hæc ille blaſphemus. Cui ſic reſpondiſſe Lucilius refert: *vix æqvalem ſe Deo facere Dæmon excogitavit & illico ad tartara demiſſus pœnis coërcetur æternis: primævos parentes elabi Deus permiſit ad Dæmonis ignominiam, nam pro hominis, non Dæmonis lapſu medelam paravit, non angelicam ſed humanam naturam Dei filius aſſumſit qvi pro homine Deo patri ſponte oblatus eſt: imo ipſemet Dæmon regni ſui ruinam â Chriſti morte infligendam pertimeſcens apud Pilati conjugem omnes nervos intendit, ne mortis reus Chriſtus judicaretur, moriens Chriſtus victor extitit. Dæmon qvi in ligno vicerat in ligno victus eſt: mundi Princeps foras ejectus ad inferos miſer ſe transtulit at eo Dei filius deſcendens, non modo eum ut canem ligavit, qvare latratu ſolo nos lædere valet, ſedqvæ ibi aderant trophæa & ſpolia reſurgens ad ſuperos reportavit. Multi ſunt vocati pauci electi. Nemo tamen licet carnis illecebris deceptus adinvenitur qvi Deum ſummum Dominum & bonorum auctorem non exiſtimet: Satanam vero ſentinam malorum viliſſimumqve mancipium deteſtetur:*

ſtetur: complures æternis ſuppliciis â Deo mancipantur qvia ipſi in interitum lapſi ſunt voluntariium, non qvia Dæmon ad peccandum cõegit: qvinimo ex infinito prope modum reproborum numero Dæmonis miſeria dignoſcitur. Nemo enim ad tartara deſcendit qvi pœnarum augmentum Satanæ non annunciet. (a) Bruxellis etiam fuiſſe probat narratione *dicti qvod caupo in ore habuit. Qvem cum adhortatus fuiſſet ad conciones freqventandas, excuſaſſe ſe dicit eo qvod Homiliſtæ ſemper dicerent; legi: nunqvam; vidi. Qvod qvidem ſcomma ut vult in Theologia rejiciendum ita in Philoſophia admittendum.* (b) Ita ſtrenuum Atheismi debellatorem ubiqve fuiſſe gloriatur Lucilius alieno nomine myſteria ſceleris ſui exponens. Nam qvod tempore legis Moſaicæ totus mundus Dæmoni ſervierit ejus contrarium in Scriptura hinc inde apparet. Exod. XIIX, 1. 10. 11. Judic. IV, 11. Ruth. I, 12. Reg. V, 15. Job. I, 1. IV, 4. IIX, 1. XI, 1. XXXII, 2. Jonæ. III, 5. Ut taceam multitudinem illorum qvos cum floreret ſub Regibus ſuis populus Iſraeliticus ſtatuis Ethnicorum deſtructis ſibi ſubjecit inter qvos multi fidem veram amplexi. 1. Chron. XXII, alias XXI, 18. Nam id inter Judæos ſtudium floruiſſe ut gentes ad fidem converterent Chriſtus ipſe dicit Matth. XXIII, 15. Act. XIII, 43. Non infertur ê Bibliorum contextu Diabolum DEO prævalere, cum dicatur creatura ſummi DEI ab ipſo propter defectionem æterno ſupplicio adjudicata, ſed Deum ei tanqvam creaturæ ſuæ, juſto judicio iſtud permiſiſſe non infert minorem DEI potentiam. Deus ipſum tentandi actum impedire qvem potuit (qvia ultra DEI permiſſionem Diabolus nihil agere poteſt) noluit, nec ad id obligatus fuit qvoniam ſatis â Deo inſtructi erant Adamus & Eva ad cavendum ſibi ab illecebris Diaboli, qvo

facto non fortior Deo Diabolus eſt, qvia Deus modis omnibus qvibus potuit, reſiſtere noluit. Si DEus non potuiſſet impedire valeret objectio, ſed ideo qvia noluit impedire non potuiſſe id facere vel ideo Deo Diabolum prævaluiſſe vana eſt opinio. Sed cur DEUS permiſit iſtam tentationem? cur non abſoluta potentia ſua reſtitit ne poſſet uti artibus ſuis Dæmon? Similis eſt qvæſtio ſeqventi: Cur Deus primos parentes non ita ſanctos creavit ut plane non potuiſſent unqvam peccare? Recte ad utramqve reſpondemus: Ita Deo non placuit. Neqve obligatus fuit ad hoc faciendum creator, imo habuit abſolutiſſimam poteſtatem illam virtutem malo reſiſtendi qvam Adamo indiderat in honorem ſanctiſſimi nominis ſui exercendi, qvam ſi in fide perſtitiſſet tentationem Deus, ut ſolet, magna hominis gloria & beatudine ultra eam qva fruebatur homo, compenſaſſet. Uti Angelis qvi in bono perſtiterunt nec Diaboli partibus ſeſe adjunxerunt, in bono ut labi non poſſint, confirmatis æternum vitæ gaudium ſine ullo elabendi periculo poſt conceſſit. Malo huic qvod ê lapſu parentum in mundo ortum eſt, ita ſuccurrere voluit filius Dei ut pretium redemtionis pro peccatis totius mundi lueret. 2. Joh. II. 2. cum eo tamen ne cogerentur inviti ſemperqve gratiæ Divinæ trahenti moroſe reluctantes. Hoc Chriſtus perfecit toto Diabolorum cœtu modis omnibus qvibus poterat reſiſtente. Qvi qvidem cum ſeducentis periculum adverſarii adiret & id multo gravius qvam Adamus prævaluit tamen, licet in ſtatu inanitatis verſaretur. Itaqve ſi voluntas Dei ſemper abſoluta in ſacris literis nobis proponeretur qvatenus homines ſalvos facit, tum demum haberet qvod vult Atheus. Ergo his qvæ relata ſunt omnibus, non poteſt probari Diabolum in ſacris literis

teris Deo potentiorem nobis deſcribi. (a) Legitur diſputatio Vanini cum Atheo qvem jactitat habuiſſe lib. de Arcan. Nat. p. 420 - 422. Cauponis dicterium ib. p. 121.

§. 14.

Poſt id factum Lucilius veſtigia itineris ſui qvo patria deceſſerat ſtudio relegens Genevam ſe contulit. Ibi diſputationem iterum ortam ſcribit interipſum & Belgam qvendam, ſe tamen ita in hac ipſa verſatum eſſe, ut licet capitis propterea periculum adiret, veritatem tamen fortiter defenderit. *Coloniæ*, inqvit, *Allobrogum* (Genevam innuens) *cum eſſem, Belgam qvendam Atheum ſic ratiocinantem excepi. Ad politicum regimen affinium conjunctio â legibus interdicitur, nam talem tantamqve inde prægustarent coëuntes dulcedinem ut nulli alii rei operam darent.* Meræ nugæ qvas rationi aut experientiæ congruere nunqvam auditum. *Addebat hic Atheus apud alias nationes non pro crimine haberi. Nam & de Hebræorum Pàtriarcha leginus cum propriis filiabus rem habuiſſe. Apud gentes leviſſimus erat lapſus qvare inceſtum dixerunt qvaſi non caſtum ut Nonius exponit. Apud perſas hodie inprimis licet ſorores in uxorem ducere. Qvibus perditiſſimi nebulonis blasphemiis ego reſpondi: Juſtiſſimis de cauſis prohiberi conjugium inter affines, nam aliter in maximum rei publicæ detrimentum familiæ non conjungerentur & complures innuptæ virgines remanerent. Moſes id conceſſit Hebræo populo, nam angustis regni finibus continebantur; extranei vero incolæ idololatræ erant ac propterea ambo mutuum conjugium reſpuebant. Inſuper Hebræi facile uxores repudiabant, cui malo Moſes ut obviaret (nam repudium permiſit tantum ob duritiem cordis) affinium conjunctionem plenus DEO meditatus eſt,*

ut

ut & conjugalis amor & ſangvinis ſimul ratio â contracto matrimonii foedere dirimendo eos avocaret. Qvam damnabilis fuerit apud Ethnicos inceſtuoſus concubitus abunde Hiſtoriæ teſtantur qvos ut omittam, Ciceronem hic appello cui tale crimen â malevolis fuit objectum, is ita loqvitur: Omnibus enim ex animi perturbationibus eſt profecto nulla vehementior, ut ſi jam ipſa illa accuſare noles, ſtupra dico, & corruptelas & adulteria: inceſta deniqve qvorum omnium accuſabilis eſt turpitudo. Dicebatur autem inceſtus id eſt non caſtum, vitium igitur erat, ſane caſtitas virtus eſt. Virtutis autem carentia crimen eſt. Alii tamen inceſtum deducunt â ceſto Veneris cingulo qvo amor maritalis in legitimis nuptiis conciliari putabatur, ut inceſtus dicatur concubitus illegitimus cui cingulum illud juſtarum nuptiarum inſigne non adhibetur. Qvid Barbari Perſarum accolæ factitant, rationale inſtitutum non arguit nec probat apud eos qvi fabuloſa Perſicæ religionis rudimenta perlegerunt. Sic ego ſacrilegas illius Athei voces, nefarias obtrectationes ac ſermones inqvinatiſſimos comprimere, retundere ac hebetare haut ſum veritus apud exteros etſi vitæ periculum imminebat. (a) Aſt non politici regiminis gratia affinium & conſangvinitate conjunctorum matrimonia prohibentur ſed naturali ratione qvæ locum habitura eſſet ſine politico regimine. Idqve colligitur ex verbo Dei qvod hoc vitio in ipſum creatorem peccare homines arguit Deut. XXVII, 23. Lev. XIIX, 3. 24. Ubi gentes ea conſvetudine tamdiu ſatis feliciter in regimine politico uſas pulſurum ê terra notat. Vitæ periculum adiiſſe Vaninum qvod defenderit ea qvæ legibus civilibus & Eccleſiaſticis prorſus cauta ſunt ſimulatio eſt vel inanis oſtentatio. Neqve ſeqvitur ê præmiſſis ratio: Pauci populi ſeu Perſæ ratio-

tionem naturalem non vident, ergo cæteri eos recte ſeqvuntur. Qvin potius Perſas oportuiſſet ſeqvi cæteros qvia major pars habet jus integri.

[a] Lib. de Arcan. Nat. p. 328.

§. 15.

Elapſus tamen eo periculo (confecto) Lucilius Lugdunum tetendit; ſed inimicum fato, ut ipſe putat, (a) nactus Henricum Sylvium qvo arcana impietatis ſuæ deregente ê Gallia ſe fuga liberare ab inqviſitione Romana cogebatur. Hic cum nullibi tutiorem niſi in Britannia ſe crederet eo profectus biennium ibi commoratus eſt. Qvippe cum Hieronymo Moravio Legati Veneti Sacerdote dum ſibi hunc à confeſſionibus ſacris deſtinaverat intima interceſſit amicitia. Namqve naturæ ambo curioſi indagatores mutua ſibi diſceptatione naturalium rerum multa & ſæpe proponentes detexerant. Hic ſvavi conſortio niſi qvid Hæretici, qvos vocat, contra ipſum molirentur, laute vivebatur. Nam glorioſo pro religione carcere ſe detentum laudat his verbis. *Qvis enim inficias eat, ſi non illuſtriori pari ſaltem martyrii virtute charitateqve præditum fuiſſe Divum Johannem Evangeliſtam atqve ê martyribus aliqvem? Ego vero vel minimus militantis Eccleſiæ tyro cum anno præterito* (erat ultra milleſimum ſexcenteſimum decimus qvartus.) *Londini ad agonem Chriſtianum deſtinatus eſſem adeoqve qvadraginta novem diebus in latomiis tanqvam in palæſtra qvadam exercerer eo eram pro Catholicæ Eccleſiæ auctoritate defenſanda effundendi ſangvinis deſiderio accenſus & inflammatus ut mihi â Deo immortali vel majus donum aut melius contingere nullo modo potuiſſet. Itaqve ſi non ſuperiorem, inferiorem certe nullo martyre propriæ conſcientiæ teſtimonium me judica-*

vit,

vit, & confratrum qvi mecum in eodem Xysto & theatro fortissimi, & digni sane qvi tale Deo spectaculum exhiberent. (b] In hoc se martyrio suo Johanne Christi discipulo non inferiorem jactitat licet non credendum sit illum ob religionem sed machinas forte contra religionem vel rempublicam adhibitas in vincula conjectum.

(a] Amphith. exercit. 42. [b) ib. exercit. 19.

§. 16.

Interim hoc ipso liberatus discrimine Lucilius Genuam profectus est ibiqve viris eruditis qvorum ibidem non levis Philosophiæ opera erat, statim innotuit. Dumqve hoc coluit maxime aptusqve visus est juventuti informandæ ejus studii ut copiam expetivit ita facile data est. Qvare multi imprudentes placita illius avide hauserunt juvenes iiqve non infimi ordinis sed illustres. Et si qvis forte esset qvi periculosam audacis hujus hominis licentiam redargueret, ille sub Philosophiæ nomine tutus latebat, his qvi literis non leviter imbuti erant callida imponens excusatione qva vulgi qvosdam errores carpsisse dicebat hosqve id ex simplicitate contra fidem putare Christianam se locutum esse. Sic pios qvorundam conatus elusit sæpe devincta sibi optimatum gratia qvam multa verborum & officii humanitate captaverat. Qvos vero præter scripta sua doctores alios suis commendare solitus sit ita declaravit de qvodam suorum discipulorum scribens: *Cum â me primis Philosophiæ sacris initiaretur, nullius juravit in verba magistri, sed Averrois libros â me oblatos* (cur non Philosophi cujusdam Christiani?) *avide excepit & in eis perlegendis adeo profecit ut balbutientium Scholasticorum ineptias confutare sit aggressus.* (b) Averroës vero nullius fuit religionis qvamvis Aristotelicæ Philosophiæ sectator insignis animæqve mortalitatem

tem

tem ſtrenue defendens. Chriſtianam religionem putavit, nullam eſſe propter myſterium Evchariſtiæ: Judaicam puerilem ob præceptorum varietatem rituumqve ſimplicitatem: Turcicam vero porcinam qvod voluptates carnales commendaret. De ſtatu futuro qvantum ad ſemet ipſum pertineret credere, hoc fertur in ore habuiſſe: Moriatur anima mea morte Philoſophorum. Qvod cum Vanini verbis ultimis convenit. (c) Diſcipulos vero ſuos præcipue ſcientia rerum naturalium imbuiſſe aſſerit, *ego* ſcribens, *cum menſibus elapſis Genuæ illuſtri loco & urbe celebri Philoſophiam perlegerem ab illuſtri admodum & ingenioſo adoleſcente jacobo Auria diſcipulo ac Domino meo unice colendo interrogatus an viridis coloris eqvi naturaliter congenerari poſſent affirmative reſpondi. At qvomodo? inqvit. Facillime ſi ejusdem coloris circumveſtiti ſtragulis coëuntibus repræſententur.* (d) Verum ſi res iſta non fruſtraretur operam multos videremus virides & purpureos qvos nunc nigros vel alterius coloris eqvos ſpectare licet.

(b) ib. p. 350. (c) Moreri Dictionaire Hiſtoriqve voce Averroez. [d) Amphith. exerc. 40.

§. 17.

Sic Vaninus ſub Philoſophiæ prætextu ſeductor incautæ juventutis Lugdunum rediit & qvo ſe crimine purgaret qvod inter notos muſſitabatur librum imprimi curavit qvo contra Cardanum aliosqve Atheos mirum in modum invectus eſt. De qvo ſtatim dicturiſumus cum de ſcriptis hujus hominis fuerimus qvædam expoſituri. Neqve ita multo poſt periculoſo itinere defunctum ſe ſcribit cum iret Niciam *qvam perditiſſimorum nebulonum ſentinam vocat & indignam qvæ. invictiſſimi Sabaudici Principis imperio ſubjiciatur auguſtiſſimo.*

Nam cum prope civitatem ob latronum metum in agresti casula pernoctaret eoqve in loco per totam insomnem noctem syderum lumine usus esset ad præcavendas insidias nulla hanc laude sua dignam judicavit. Sic variis terræ marisqve jactatus casibus (*qvippe Garigliani fluvii prope Gaëtam ingresso ad mare bis aqva necem minata erat*) non destitit Lucilius ubicunqve esset, nam eodem loco esse periculosissimum videbatur, doctrinam suam disseminare. Paulo post in Italiam ut reditum est accusatus capitis qvod Atheistica disseminaret fuga periculum evitavit Lutetiam remeans ubi ut tutum se animadvertit pari modo impio labore officioqve suo securus admodum functus est. Sed non tulit post hæc tempora vindicta Divina sontem qvam Parisiis Tolosam Galliæ urbem iverat qvod ultimum tandem iter huic exitio fuit. Sed idem, ut differamus, facit librorum recensio qva supersedere ob præscriptum initio titulum non possumus, hoc unum præmonentes qvod Lugduni accidisse narrat qvo vanitatem Philosophicæ scientiæ suæ iterum deridendam promit. *Mense*, scribit, *Martio Lugduni cum essem accepi â nonnullis amicis pedisseqvum in diversorio perblande â caupone exceptum qvi cum deinde triginta solidos pro cœnula exposceret egregium illum ad iram commovit, qvare statim cauponi valedixit adscenditqve cubiculum & clausis januis nescio qvid in fictili vasculo opponere visus est & suffumigationibus impleta domo abiit. Conscendit dehinc famulus ut inspiceret an aliqvid ille surripuisset, sed statim saltare incepit, qvinimo cuncti qvi illuc introibant, ad idem impellebantur. Hujus rei causam Dæmonum arti omnes referebant, non modo Catholici sed etiam Hugonoti. Julius vero Cæsar irridebat ejusmodi aniles fabellas & naturali causæ* (verba Vanini sunt omnia) *adscri-*

ſcribebat. Credendum enim eſt pediſſequum illum exſiccati Phalangii pulverem habuiſſe: eamque vino infudiſſe. Qvi primus adſcendit hoſpitiolum, illius vini haustum aſſumſit moxqve â ſede proſiliit. Si igitur Tarantulæ morſus ad ſaltandum incitat, cur illius exuſti pulvis vino dilutus idem non operabitur? Qvod vero opponi poterat, omnes illuc euntes præſultaſſe cum tamen omnes vinum non prægustaviſſent ita diluit: nebulonem illum ſuffumigia feciſſe in cauponiola dicebant, procul dubio ex Phalangii pulveribus & feneſtras clauſit ne fumus egrederetur: qvare eo accedentes cum viderent puerum ſalientem obſtupebant atqve ita aperto ore ut mos eſt attonitisſtabant aliqvandiu (qvod ideo fit qvia undiqve attrahit anima ſpiritus ad novitatis illius cauſam inveſtigandam:) atqve ita vapores illos attraxerunt ac propterea omnes in illa ſaltatoria domo ad ſaliendum excitabantur. Etiam canicula aderat ſaltatricula: nec mirum cum & minimos peſtiferi corpusculi vapores anhelitu attractos non modo familiam integram ſed ampliſſimos urbes conflictatas fuiſſe ad interitum apud Hiſtoricos legimus: ut ſubticeam venenum illud â neſcio qvibusdem veneficis circulatoribus fabricatum qvod ſolo afflatu homines interimit. (a)

(a) Arcan. Nat. p. 447. 448.

§. 18.

Qva tamen reſponſione prodit negligentiam ſuam ſtolidus induſtriæ in perveſtigandis naturæ arcanis oſtentator, dum qvod in patria ſua ſingulare & memoria dignum accidit malum hominibus â phalangiis illatum horumqve morſus & natura latuerunt adeo ut ſaltationes hominum ſoli pulveri de Tarantulis confecto adſcribere ſit auſus. Nam ſi propter ſigna deſideratæ Muſicæ qvæ alias in hominibus â venenatis animantibus punctis ani-

madverti ſolent ſalſaſſe ſtatim illos dixeris, cur non hanc ipſam in hoſpitio choream ſcorpioni in pulverem redacto adſcripſeris cauſam nullam video. Nam idem in Apulia ægris ex iſtius ictu obvenire ſolet. Teſtem producimus rei illius virum eruditiſſimum Georgium Baglivium (a) cujus in indagandæ Tarantulæ natura & miris effectibus ſingularis opera orbi erudito ſatis cognita eſt. Imo Tarantula licet natura ad ſaltus motusqve vehementiores prona ſit & fere nunqvam qvieſcere obſervetur, non tamen ſaltat niſi ad muſicum concentum vel aliam cauſam exterius moventem. Igitur nec pulvis iſte ſolus ore hauſtus homines ſaltantes facere poteſt. Sed qvia audivit Lucilius ægros ê morſu Tarantularum cum aliis ſimul medicamentis & Muſica adhibita curari: qvippe demorſi paulo poſt inflictam ſibi plagam minime ſaltant ſed miſeri humum decidunt ſemianimes, difficulter qvandoqve ſpirant freqventer tamen immobiles jacent: hinc animalcula illa peſtifera ſtatim hoc efficere ſibi perſvaſit ut veneno operante exſiirent & ad choreas properarent afflicti. Qvod multo ſit aliter in hoc ægrotantium ſtatu, in qvo non ſaltat niſi Muſica adhibita neqve ſe movet æger qvam ubi ſonum conditioni ſuæ aptum audiat. Cujus ergo citabimus ipſa doctiſſimi Medici verba: *Inchoato Muſices ſono ſenſim miteſcere incipiunt ſymptomata ante dicta, æger digitos manus, mox pedes movere incipit & ſucceſſive cætera membra, creſcenteqve ſonorum modulamine motus ipſe membrorum augetur, & ſi patiens humi jacet vehementiſſime in pedes elevatur, ſaltationes inchoat, ſuſpirat & modis fere admirandis contorqvetur. Vehementes has ac primas ſaltationes pluribus horis ſed freqventer duabus, tribus horis continuat, poſtqvam vero paululum qvieverit in lecto ad ſudores abſtergendos viresqve*

que reficiendas, eadem vehementia ſaltationes redintegrat & facta ſupputatione duodecim fere horas qvotidie impendit in ſaltationibus vicisſim inſtitutsi. Et qvod mirum eſt non ſolum â vehementibus hisce ſaltationum laboribus laſſitudinem aut debilitatem aliqvam non ſentiunt patientes ſed exinde ut ajunt, agiliores fortioresqve evadunt. (b) Præterea certum eſt nec cuilibet regioni nec qvovis anni tempore Tarantulam morſu venenum inferre ſed in Apulia duntaxat atqve æſtivo tempore præſertim urente canicula; hieme ſi mordet, non offendit. Tarantulæ ergo in Galliam translatæ ſi haberent in Apulia æſtivo tempore ſine mediis muſicis vim ad ſaltus excitandos, non tamen haberent menſe Martio in Gallia. Sed enim pulverem inqvis iſtum eo tempore in Apulia factum ſecum duxit in Galliam exitioſus ille Muſicus. Non tamen viventium veneno Tarantularum ſaltare audivimus â teſte oculato qvî ergo â mortuorum ſimplici vi vehementior effectus eſſe poſſet? Vel hoc indicandum Lucilio vel non tantus in eruenda de hoſpitio infecto qvæſtione ut ſibi viſus eſt Julius Cæſar in caſtris Philoſophiæ videri ſibi debuiſſet. Sed ad ſcripta properandum eſt.

(a) Baglivii opera Medica diſſert. 6. p. 568. (b) ib. p. 562.

Cap. III.

COmmentarii Phyſici, Medici, de vera Sapientia, Phyſico-Magicum, de contemnenda gloria, §. 1. Apologia pro Moſaica & Chriſtiana lege §. 2. Commentarius Concilii Tridentini, Amphitheatrum providentiæ §. 3 - 12. De admirandis Naturæ Deæ, §. 13 - 31.

§. 1. Pri-

§. 1.

PRimus liber comentariorum Physicorum nomen inscriptum monstrat qvos adolescentulus dictavit. Multa in eo qvæ ad naturam explicandam pertinere videntur & qvidem nonlevia in eo scripta esse voluit sed ex ultimo libro apparet hunc semet ipsum postea non magnifeciſſe. Cardanum inter alios refutandum in eo censuit differentem de aqva elemento non tamen necessario. Eodem modo varia de plantis marinis earumqve nutrimento nec non de gustu habet qvem insensuum numerum non vult referri. Alter Commentariorum Medicorum nomine consignatus est qvem ipse fatetur currente calamo qvoqve composuisse ubi de oculorum læsione & curatione caute instituenda inter cætera agit. Tertium de vera sapientia elaboravit in qvo de cruce Beati Andreæ qvæ Hugoni Pictorum Regi pro Scotis adversus Athelotanum Anglorum Regem prælianti apparuit & de vexillo D. Cuthberti qvod Edgaro Scotorum Principi adversus Donaldum dimicanti accidit, in libro voluminis nono est disputatum. Ibi de Jacobæo qvoqve & Constantini Magni vexillo qvæ scripserit, legi poterunt. Est adhuc aliud scriptum qvod Physico-Magicum auctori dicitur ubi tres rationes dedit cur adulterino concubitu suscepti filii cæteris conspicirentur formæ & speciei gloria antecellere. Libellus alius de contemnenda gloria est in qvo videri vult Atheis occurrere his qvi Christum dixerunt gloriæ cupiditate mortem obiisse. Præterea sunt libri Astronomici Argentorati excusi. Sed nullus fere in qvo non qvicqvam contra Atheos disputatum & qvidem nonnunqvam adeò non justo loco tamqve frigide ut suspectum semet reddiderit ejusdem opinionis.

§. 2 Se-

§. 2.

Seqvuntur libri Theologici qvorum eſt unus: Apologia ut ipſi vocatur, pro Moſaica & Chriſtiana lege adverſus Phyſicos, Aſtronomos & Politicos. In his videri cupit refutationem inſtituiſſe contra Atheos Moſen ob maris æſtum naturalem in ſicco aſſerentes mare Erythræum transiiſſe. Cardani qvoqve ſententiam ibidem tetigit qvi non putat plurimum referre animæ immortalitatem credere ad bene beateqve vivendum. Nos ſupra ejus verba poſuimus noſtram ſuper ea re ſententiam jungentes. Inſcitiam inſuper Cardani redarguit in expoſitione Divini illius eloqvii: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes: Nimirum Cardanus de fundamentis vitæ Chriſtianæ diſſerens hæc habet: *Sed & alia tamen duo ſunt præcepta ad vitæ inſtitutionem ſcilicet ut ſimplicitate columbas prudentia ſerpentes imitemur. At vero de columbarum ſimplicitate adeo exemplum eſt manifeſtum ut pro innoxiis â Poëta deſcribantur dum mores temporum carperet dicente: Dat veniam corvis vexat cenſura columbas. Sed de ſerpentum prudentia ratio altius recondita videtur. Ergo ſerpentes etiam animantia prudentiſſima, rationis tamen expertia tribus cauſis exiſtimari debent. Prima qvod pugnaturi mortiferas edant herbas ut hoſtem facilius ac citius conficiant. Cum latebras revertuntur, non recto tramite ſed diverſo redeunt, ne via ex hudo corporis deprehendatur. Cum ſenectam exuerint qvaſi infirmiores facti perpetuo latent. Sic nos cautos eſſe decet ne iniqva pugna decertemus aut improvide ſuccumbamus ne inconſulti deprehendamur: ne imbecilles & inermes qvisqvam nos opprimat. Sileo qvod vulgatum ſit contra præcantationes aurium alteram terræ affigere, reliqvam cauda obtrudere ne illas exaudire poſſint. Mihi ſat ſem-*

per fuere hiſtoriarum absqve fabulis exempla. Hæc igitur eſt ſumma ratio perfectæ ſapientiæ: qvæ qvamvis noſtro in arbitrio minime ſit ut pleraqve tamen alia qværentibus magna ex parte ſe offert. (a) Sed qvod neget Cardanus ſerpentes contra præcantationes aurium alteram terræ affigere reliqvam cauda obtegere in eo Atheiſmi inſimulari non poteſt. Non enim reperiuntur hæc in Scriptura Pſ. LIIX, 6. ubi ſolum dicitur eſſe qvosdam ſerpentes tam feros ut nulli incantationi obedientes aurem obturatam habeant ſeu duram & clauſam reddant. Non cauda tegentes alteram, alteram vero terræ affigentes ſed naturæ feritate nullas præbent aures excantantibus. Ut homines ſurdi dicuntur auribusqve obturatis nolentes admonitionibus præbere faciles aures ſic ſerpentes dicuntur ſurdi, non qvod audire non poſſint ſed nolint; aures obturantes, non exteriori medio, ſed interiori ferocitate. Interim fieri poteſt ut qvidam ſerpentes aſtutiſſimi audientes vocem ingratam auribus terram premant ne ſonus per aërem inſvavis in aures cerebro proximas penetret. Qvippe ſibilans ſonus cujus literam ſæpe adhibent excantando Magi auribus humanis adeo interdum moleſtus eſt ut gravibus inde paſſionibus angantur, auresqve claudant manibus ne ſono lædantur. Qvod vero ſcripſerit Cardanus ex Aſtrologia probari poſſe Chriſtianorum religionem eſſe ſimpliciorem Turcica fecit hoc ex ſtulta opinione qva fata Chriſti ex aſtris divinare voluit qvam ſupra refutavimus & ſane riſu dignum Cardanum ſtruere domos cæli Chriſto longo poſt tempore mortuo & redivivo omnemqve qvam de vita Chriſti hauſerat hiſtoriam ita ſtellis applicare ceu dixiſſent ipſi hunc fuiſſe effectum cujusqve ſuum. Si vero ſimplicitatem exponas animi candorem qvi non fraude

ſed

ſed dexterrimo modo agit, non male dixit ſimpliciorem cæteris religionem Chriſtianam. Ut vero qvæ ſit Cardani demonſtratio tantæ ſcientiæ audiamus, hæc ejus verba â Lucilio qvoqve exprobrata citabimus. *Animadvertendum* inqvit, *qvod ad trigonos attinet atqve leges Mahumethicam qvæ ſub Marte eſt, ſibi adjungere Venerem vel Lunam ut in triangulo viſum eſt. Venerem ob in exhauſtam libidinem diemqve illi dicatum colunt, Lunam qvod laborioſiſſimi ſint atqve vagi ejusqve in vexillis imaginem referunt. Ob utramqve autem plures accipere uxores lex illa permittit. Judaica autem Mercurium Saturno adjungit unde ipſi maxime ſunt induſtrii, loqvaces & miſeri & parandæ rei pecuniariæ dediti. Chriſtani jovi junctum habent ſolem, illiusqve diem colunt dominicum ſicut & judæi Sabbatum propter Saturnum. Sol autem ſignificat juſtitiam & veritatem. Chriſtiana autem lex plus continet veritatis & ſimpliciores reddit homines.* (b)

[a] Cardan. tom. I. de Sap. l. 1, p. 500. edit. Lugdun.

[b) L. II. Ptol. de Aſtr. Jud. in text. 18. Qvam non fuerit Cardanus in explorandis diebus eorum ſollicitus, qvorum vitas ex aſtris deſcripſit patet ex genitura Lutheri qvem die 12. Octobris Anno 1483. natum credidit, cum tamen decima Novembris hora prima ante noctis meridiem natus ſit. vid: Tych. Brahe lib. de nova ſtella p. 777.

§. 3.

Nec minus & Juſtinum refutavit iſto loco qvem produximus antea. Alter Comentarius ſacro ſancti Tridentini Concilii dicitur in octodecim libros diviſus in qvibus Lutherum magnopere onerat maledictis ſcribentem ea ſigna â Franciſco ipſo illata faciei ſuæ eſſe. Succedit contra veteres Philoſophos Atheos compoſitus liber qvo multis impoſuit Lucilius qvaſi recte de Deo ſenſiſſet, hinc eo accuratius recenſendus eſt. Amphitheatro Æternæ

Providentiæ huic libro nomen eſt. Franciſco vero de Caſtro Comiti Caſtri, Duci Tauriſani inſcriptus & Lugduni anno decimo qvinto ſupra milleſimum ſexcenteſimumqve impreſſus cum privilegio Regis Galliarum. In ipſa præfatione Lucilius exponit hunc librum de Dei providentia tanqvam aciem qvandam compoſuiſſe & adverſus veteres Philoſophos direxiſſe ut qvi illorum præſidio innituntur moderni Athei eodem impetu perfracti & labefactati conciderent. Satis qvoqve modeſte laboris mercedem â candido lectore hanc ſibi exorat ut advertat notetqve omnia & ſingula verba Romanæ Eccleſiæ judicio & cenſuræ â ſe humillime ſubjici inſuper ne ipſe ſemet ſeqvatur in omnibus ſed in iis tantum in qvibus ipſum recte ſenſiſſe nec â vero exorbitaſſe lector putaret. Et ſi qvod res eſt dici debet, multa malis bona mixta ſunt in hoc libro: uti nec â natura fuit Atheus hic Lucilius ſed paulatim de die in diem deflectens â veritate, erroribus qvibusdam conceptis ſe extricare neſciens infelici morte in Atheorum ſententia obiit. Rogat etiam neqvis fraudis ſibi qvidqvam vel criminis affingat, qvod in Atheorum libris evolvendis aliqvantum temporis ipſum conſumſiſſe qvisqvam ſuſpicetur: *Nam Lutetiæ*, pergit, *cum eſſem, & Apologiam pro Tridentino Concilio conſcribendam ſuſcepiſſem ab Illuſtriſſimo Reverendiſſimoqve Domino Roberto Ubaldino Epiſcopo Politiano ad Chriſtianiſſimum Regem Apoſtolicæ ſedis Nuncio Ampliſſimo qvosvis libros pervolutandi facultatem impetravi:* (a) Qvippe nota jam tum temporis erat de hoc homine opinio qvod qvædam contra Chriſtianam fidem vitamqve blaſphemus evomuiſſet. Neqve deſunt ipſi qvi cauſam ejus tuentes invidiæ crimine poſtea accuſatum prodiderunt qvod nonnulla acriori ſtilo & vana ſcientiæ oſtentati-

tatione in Scholaſticorum ineptias Sacerdotumqve ſimplicitatem ſcripſiſſet. Nec eſt negandum qvandoqve acriter invectum eſſe in eos qvi rerum divinarum notitia vilem plebeculam frigide ſatis imbuerent nimis abjecte de myſteriis Chriſtianæ religionis ſenſiſſe eaqve irriſui potius ê ſuggeſtu expoſuiſſe auditoribus qvam eo modo inſtituiſſe eos qvo verus Dei cultus depoſceret. Cujus rei ipſius verba teſtimonium præbent qvando, *neqve ſacræ*, ſcribit, *paginæ adverſamur qvando in illa ſcriptum ita adinvenimus: miſericordia ſuper omnia opera ejus. Hic tam non probatur miſericordiam reliqvis Dei virtutibus antecellere ut noſtrates Homiliſtæ inde deducunt apud incautam plebeculam exclamantes, Deum eſſe miſericordem magis qvam juſtum. Qva blasphemia qvid horribilius excipere Chriſtianæ poſſunt aures! Eſſet enim Deus non ens ſimpliciſſimum atqve puriſſimum ſed compoſitum atqve adeo principiatum & rebus illud componentibus posterius aliqvid*, b)

(a) Exerc. Amphith. 8. circa finem: (b) ib. Exerc. 19. circa finem.

§. 4.

Magnam credo ſibi invidiam qvoqve conflaſſe qvod præcepta Scholaſticorum ſcriptis publicis rejecerit qvibus tamen Romani in hunc diem adeo firmiter inhærent ut ipſi clariſſimæ veritati nonnunqvam præponant eorundem exiſtimationem. Qvare in Præfatione Amphitheatri hæc male commendarunt auctorem verba: *Divinæ providentiæ myſteria enucleare explanareqve aggreſſus ſum, non ex obſoletis illis qvidem Tullianis declamationibus neqve ex popularibus illis & anilibus fere Platonicis deliriis & inſomniis neqve etiam ex putridis Scholaſticorum qvisqviliis.*

§. 5.

Non tamen omni culpa animo ſuſpicaci ſe purgat hoc libro dum recenſita Machiavelli documenta, qvod miracula excogitarentur â Principibus & Sacerdotibus ad lucri honorisqve aucupium tantum omnia negando ipſumqve ita redarguendo refutat. *Franciſcus, addens & Dominicus paupertatem profeſſi ſunt & humilitatem, non igitur lucri honorisqve cauſa miracula confinxerunt.* Non ſolemus ore & animo contradicentes adverſariorum cavilla diſſolvere argumentis tam futilibus Miracula Franciſci ac Dominici non ab ipſis conficta ibidem ſcribit ea ratione qvia hoſce viros complurimis miraculis inclaruiſſe luculentiſſimo certiſſimoqve Eccleſiaſticæ hiſtoriæ teſtimonio comprobatum. Sed nihil teſtimonii hic profert ubi maxime opus eſt, nec qvod perſonam qvidem veritatis induere ullo modo poſſit. (a) Qvis ſibi perſvaderet acrem judicio virum, qvalis videri cupit, non percepiſſe multas in Hiſtorio Pontificiorum Eccleſiaſtica fabulas qvarum veritas in anilem ſeqvioris ſexus ſuperſtitionem reſolvitur? Hoc ſatis indicii illum non ſerio rem agere ſed qværere ut lectoribus de vera fide ſua fucum faciat.

(a) Amphith. exerc. 8.

§. 6.

Nec ipſi credendum licet ſancte de Deo ſcribat qvia non diffitetur metu ſanctæ inqviſitionis animi ſenſa hic non ſatis expoſuiſſe. Nam poſtqvam de cauſa peccati dubia propter Dei cognitionem multa excitarat mentem ſuam detrectat explicare ſcribens: *His igitur Scholaſticorum diſtinctionibus non aſſentiens neqve aſſenſuras donec Sancta Eccleſia Romana Eccleſiarum Mater eas confirmarit, reſpondeo qvidem ad argumentum*

ſed

ſed ruinam pertimeſcens humi ſerpam. Malo namqve mihi iratum Horatium qvam noſtrates Inqviſitores qvos tanqvam vineæ Dominicæ cuſtodes ſuſpicio atqve deveneror (a)

(a) Amphith. Exerc. 16.

§. 7.

Et qvod auget malæ fidei ſuſpicionem eſt manifeſtata contradictio qva qvicqvid in hoc libro affirmavit in aliis negare nullus dubitat. Exempli loco ut unum adducamus, monendum, ipſum de Intelligentiis Pontificiorum ê Peripateticorum opinione natam doctrinam docuiſſe, ſpreta tamen Ariſtotelis ſententia in Amphitheatro, (a) ſed in Arcanis Naturæ irriſit utramqve ſententiam. Nam ibi Alexandri verbis dic *mihi*, inqvit, *qvid cenſes de Peripatetici Senatus ſententia? Inqviunt enim illi primum cælum ab Intelligentia rotari. Reſpondet vero julius: Fabella hæc eſt etſi magnos habeat auctores. Cur ita* pergit Alexander, *tibi videtur? Hac de cauſa*, reſpondet Cæſar, *qvia ad hunc modum eſſet profecto intelligentia ſicut jumentum ad jugum molæ truſatilis alligatum. Præterea primum corpus impellens neceſſe eſt aliqvo modo niti. At intelligentiam qvis unqvam dicet niti? nec movere igitur urbem. Ad hæc iſtud addi poteſt argumentum. Si Intelligentia moveret cælum & ipſa moveretur. Nam ex Ariſtotele neceſſe eſt, omne qvod movet, moveri: at Intelligentia non movetur qvia corporea non eſt (nihil autem movetur præter corpus inqviunt Averrois ſectares) ergo nec movebit.* Objicit qvidem Alexander: *Verum qvemadmodum anima ſeipſam movet movendo corpus ita & Intelligentia ſeipſam movet movendo cælum. Sed Julius refutat hoc, nam anima, inqviens, non movet ſe ad corpus ipſa vero movetur per accidens qvia*

â corpore movetur motu tamen æqvivoco. Id qvod de Intelligentia dici non poteſt, qvia cum non ſit materia neqve per ſe neqve per accidens movetur ſicuti neqve lux in aëre moto. Concludam itaqve unico verbo adverſus Intelligentiarum cælorum motricium inventores & fautores. Si Deus optimus Maximus omniium rerum cauſa eſt immediata & ubiqve eſt nec otioſus, qvid qvæſo opus eſt Intelligentiis? Dicite mihi perbelli Intelligentiarum cupitores & amaſii. Si infinita Dei potentia eſt ad omnia non modo ſufficiens ſed etiam ſuperabundans ſi absqve Intelligentiarum miniſterio cælos creavit, & omnem eorum ornatum inenarrabili complexus eſt artificio, cur eos ſine Intelligentiarum adminiculo movere negabit? Ita ſobrie ſatis videtur agere Philoſophum Vaninus & inſtar optimi Chriſtiani; ſed cum Alexander paulo poſt incipit julium per Pomponatii Præceptoris ſui Genium obteſtari ut qvid de cœli motore ſibi videatur aperte dicat: *Si in Chriſtianorum inqvit, ſcholis enutritus non eſſem, aſſeverarem cælum animal qvod â propria forma qvæ anima eſt, movetur. --- Cæli molem â propria forma gyro agitari qvemadmodum elementa.* (b) Nulla ratione probari poteſt Intelligentias dari, humanus intellectus eas confingit. (c)

(a) Exercit. 16. Amphith. (b) Aroan. Nat. dial. 4. p. 19. 21.
[c) Dial. 56. p. 427.

§. 8.

Imo innuit Lucilius clariſſime ſe non magnifacere illud ſcribendi genus qvo Atheis contravenire ſtuduerit. Nam qvod de puero qvodam ab ipſo partu loqvente & futura prædicente in Amphitheatro Naturæ adſcripſerat ita poſtmodum corrigit; *Ego exiſtimo fabuloſum eſſe pueri vaticinium qvod Hali Habenzagel pro vero jactitat: qvo-*

qvoties in eodem ſigno iidem planetæ conjuncti fuere nec pueris recens natis loqvelam & prophetiam contulerunt. Alexander objicit: Imo tu in Amphitheatro *æternæ providentiæ phyſicam cauſam reddidiſti cur puer ille ſtatim ab ortus ſui die locutus eſt. Julius: Multa in eo libro ſcripta ſunt qvibus â me nulla præſtatur fides. Coſi và il mondo. Alexandēr: Non miror nam ego crebris vernaculis hoc uſurpo ſermonibus: Qveſto mondo è una gabbia de matti.* (a) Divinam eodem ſcripto providentiam ex oraculorum reſponſis probaturus contra hos qvi ſyderum directioni cuncta oracula adſcribunt inter alia ſibimet ipſi Atheorum nomine oppoſuit ſeqventia: *Hali Habenzagel ex ſyderum ſibi cognita poſitione prædixit infantem natum ſtatim vaticinaturum & ita evenit. Nam ab ortu ſuo viginti qvatuor horis poſt locutus eſt, mortem ſuam prænuncians & finem ad qvem natus erat patri ſcilicet & imminentes familiæ calamitates ut prænunciaret ut refert idem Abenzagel c. 75. part: Conciliator in expoſitione 27. problem. & Iunctinus in defenſione bonorum Aſtrologorum fol. 20. ex impreſſione Francofordiana.* Cui objectioni ita reſpondet: *Hali ex ſyderibus nunciavit puerum natum prophetaturum. Prophetiam igitur aſtra conferunt. Reſpondeo: Negando conſeqventiam. Pueri namqve Prophetia fuit in aſtris tanqvam in ſigno non tanqvam in cauſa. Veſtigemus vero veritatem ex ipſis Aſtrologorum confeſſionibus.* Et poſtqvam Alberti Magni atqve Cardani teſtimonia qvod aſtra ſigna non vero cauſæ ſint illarum rerum adduxit, jam hisce ſuam ſubdit opinionem. *Ita ego pueri dico prophetiam fuiſſe in cœlo non tanqvam in cauſa ſed ſigno duntaxat. Qvare potuit Haly peritiſſimus aſtronomus ex aſtro Veneris bene diſpoſito facillime illud conjicere. Illud autem obiter annotemus, natura-*

tur ale non miraculoſum opus eſſe ut puerulus recens natus loqvatur, nam cum ſermo linguæ robore & intelligentia conſtet, hæc autem cum illo adveniat prius plerisqve hinc fit ut mirum videatur, loqvi puerum intelligentia nondum abſoluta. Attamen ſi linguæ robur prius perficiatur cum homini â natura inſita ſit ipſa vis loqvendi, qvid nam efficiat, qvo minus audita, non intellecta ad inſtar picæ aut pſittaci effutiat vel intellecta jam nixu qvodam ſpirituum atqve concurſu ad lingvam proferat. (At qvomodo primo die iſtud robur perfectum & intellectus ad audiendum ſatis firmus, probandum fuiſſet.) Ita Vaninus factum qvod hic omne naturæ cauſis adſcribit in ultimo de Natura libro verum plane negat. Ambæ reſponſiones Atheis ſimillimæ qvi ne miracula credere opus ſit, omnia ſi vim rationis transſcendant negare ſolent.

(a) Totum proverbium hoc eſt: Coſi va il mondo meſchino, Sabbato Greco, & Mercore Latino: Qvod Galli dicunt; Ainſi va le miſerable monde, Samedy en Grec & Mecredy en Latin. Qvo ſane animum fallendi cupidum prodidit inconſtans homuncio. Qveſto mondo è una gabbia de matti (mundus hic carcer ſtultorum eſt) leguntur verba. *lib.* de Nat. D. Dial. 56. p. 428.

[b) Amphith. Exerc. 6.

§. 9.

Nec probabuntur omnibus qvæ Protagoræ occurrens adverſus verba tulit. Nam cum hic objeciſſet. *Si Deus eſt, unde mala?* Recte qvidem â libera noſtra voluntate eſſe qvæſtionem excipit Vaninus. Sed argumentum ſectariorum ejus dum hoc dicit eſſe: *Si Deus noſtri eſt providus, cognoſcit peccata, facit igitur:* Boetii reſponſionem culpat qvi probationem à ſcientia Dei deſumtam in hoc argumento falſam dixerat. Verba Boetii adducit ſeqventia: *Nam ſicuti videns aliqvem moveri ad locum*

de

de motione certus, nihil tamen efficit neqve ab ipso eunte patitur; Ita DEus non efficit futurum etsi illud cognoscat. Sed ne â respondendi labore subducere nos velle videamur, (jam probat canonis veritatem Lucilius) *verissimum dicimus hoc axioma: Scientia Dei causat res & rationibus comprobamus. Nam qvod DEUS alia â se cognoscat, percipi â nostro intellectu nullatenus potest, nisi qvia DEUS efficiat: qvare cognoscendo seipsum esse causam cognoscit effectus, hi namqve in causa relucent. Vel Deus cognoscit alia â se, qvia est effectus rerum extra se, nam per effectum cognoscimus causam, qvod de Deo concipere nefas est. Vel qvia similitudinem rerum â rebus ipsis vel ab aliqvo alio receperit, qvod est pariter impossibile. Vel qvia ipsemet sit rerum similitudo, qvod & fingi neqvit aut excogitari qvoniam aut esset ipse imago rerum vel res imagines ejus. Sit detur primum, ergo rerum est effectus, hoc autem est perabsurdum & ridiculum: si secundum, erit causa rerum.* Altera probatio â Lucilio ita instituitur: *Omne DEus efficit per suum esse sed hoc est intelligere, per suam igitur intellectionem cuncta operatur. Minor probatur: Actus intellectionis manet in intelligente pariter ergo & in DEO: DEus igitur est intellectio ipsa. Nam qvicqvid in DEO DEUS est, alioqvin intellectio aliunde Deo accideret, qvare non esset æterna neqve optima qvippe in tempore perficeretur & ab extrinseco. Amplius ex Averroe comment: ult. lib. Metaph. part. 19. Dei scientia rebus comparatur & artificis operi sed operis causa artificis scientia est & Dei igitur. Minor hæc patet, nam artifex operatur per suum intellectum, hujus ergo formam operationis principium esse intelligimus.*

§. 10.

Circa qvam Lucilii argutationem notandum

qvod ſcientia ſumatur pro cognitione operandi atqve efficiendi res in qvantum, modum qvo iſtæ res fieri debeant vel poſſint ſcimus & ita ſcientia cauſa rei dici poteſt & ſcientia artificis eſt cauſa operis ſeu ſcientia artificis opus cauſatur. Hoc eſt qvia ideam rei formandæ in animo habet artifex ad qvam opus efficiat, recte ſecundum eandem operatur: non vero hoc ſenſu canon explicandus qvaſi eo ſtatim momento qvo cognitio fabro inhæret & opus ipſum fabricetur ſed qvando in actu cauſandi conſtituitur prius enim falſum hoc verum dictat ipſa ratio. Imo vero canon iſte nec in naturalibus valet ubi bruta animalia in actu generationis conſtituta cauſa ſunt ſuæ ſobolis licet neſciant qvis ex operatione effectus reſultet. Scientia deinde ſumitur pro ſola exiſtentis cognitione. Ita novimus res materiales & ſpirituales. Et hoc modo cognitio noſtra dependet â rebus, qvia rem non ſciremus ipſa niſi foret non entis nulla ſunt prædicata neqve tanqvam exiſtentis ſcientia. Non vero cognitio noſtra dependet â rebus cauſantibus ut res potentiam cognoſcendi in anima cauſentur, hanc enim jam habet; & qvam primum hæc rem deprehendit, ſtatim notat eam hoc eſt ita in actum deducitur a ſeipſa ut ſtatuat rem viſam, eſſe. Poteſt tamen fieri ut per operationem animæ eandem rei ideam nobis ante conſtituamus caſu qvidem fortuito qvam ipſam vidimus. Huc pertinent ſpecies rerum in ſomno apparentium qvæ cum poſtea vigilanti reapſe demum appareant non potuerunt ante, ut cauſa in cognitionem noſtram influere. Huc pertinent omnes effectus qvos ante actionem ipſa ex materiæ qvalitate reſultaturos noſti, qvorum cum ipſe auctor ſis non potes ab iis tanqvam â cauſa dependere. Qvibus ſuppoſitis dicimus canonem qvod ſcientia Dei res cauſetur

eo

eo ſenſu maxime valere: DEus perficit res qvia novit perficere. Non valet eo ſenſu; Qvodcunqve Deus ſcit illud ipſum ſtatim agere oportet. Qvia ſcientia Dei in ſuo ſignificatu latius qvam ipſa actio patet. Novit Deus centum facere mundos qvia potentiæ eſt infinitæ at non ſtatim eos efficit. Rationem Lucilius de ſcientia Dei res cauſante hanc ſuppeditat: *Qvia â noſtro intellectu nullatenus percipi poteſt ulla cauſa cur Deus alia â ſe cognoſcat niſi qvia efficiat.* Aſt vero ſi plane non percipimus infinitam Dei cognitionem nec cauſam innuere poſſumus ullam, non propterea canonem ſubcerta conditione verum, abſolute talem habere debemus. Deinde Deum cognoſcendo ſeipſum eſſe cauſam ex hoc demum alterum colligere nempe effectum ſcientia ratiocinativa eſt qvod cum perfectione Dei infinita pugnat. Deum vero cognoſcere alia â ſe qvia effectus rerum eſt extra ſe duplici modo dicitur, aut per effectum ſubſtantia aliqva citra divinam potentiam producta aut per effectum, non reapſe qvidqvam ſed defectus nempe peccatum qvod informali ſuo non effectus ſed defectus potius nec creatum ſed productum eſt: priori modo res nulla extra Deum ſed poſteriori dicitur. Non hoc pugnat cum infinita perfectione nam malum eſt defectus adeoqve ab illa non debet eſſe nec ut ſubſtantia cognoſci. Non cum infinita bonitate, nam licet illa cum actione peccante ita concurrat ut in eo peccantes vivant, ſentiant & moveantur, non tamen aliqvid inde culpæ vel labis trahit, imo novit omnia peccata dirigere in bonum finem in laudem miſericordiæ & juſtitiæ ſuæ. Licet nos per effectum in cognitionem cauſæ deducamur Deus tamen ab effectu ad cauſam colligendo non opus habet ob intellectus infinitatem ſed uno intuitu omnia cognoſcit. Omnes â Dei

ſcientia imperfectiones ſegregandæ. Recte itaqve Boëtius aſſeruit ſcientiam non eſſe ſtatim cauſam effectus reſpectu Dei, & iſtud dependere qvo Deus ita â creaturis dependere dicitur nec Deum nec hanc cognitionem qvam de re habet ceu cauſa effectum alium producit qvia ſcientia Dei omnibus rebus & defectibus ſeu peccatis prior eſt. Sed Dei cognitionem dependere dicimus in qvantum id qvod cognoſcit aliqvis, tanqvam natura prius â nobis concipi ſolet; in Deo namqve nihil prius ſtatuminari poteſt.

§. 11.

Pergit tamen Lucilius dicta firmare auctoritate aliorum Boëtumqve refutare. Nam *his* inqvit, *rationibus accedat communis Philoſophorum & Theologorum auctoritas qvi hanc venerantur propoſitionem. Scientia Dei cauſat res Averr.* 12. *Metaph. com. Dionyſ. in lib. de Div. nominib. Auguſtin l.* 15. *de Trinit. c.* 13. *B. Thomas cum Scholaſticorum caterva in prima parte & in primo ſententiarum.* Sed ſcientia Dei ſi rebus & artificis operi comparatur non omnia qvæ ſcit efficit Deus ut nec opifex qvi ſciens conficere veſtes nullas tamen unqvam facit. Nihilo tamen minus exemplum â Boëtio allatum extra rem eſſe vult. *Nam ita Philoſophando inſtat:* Videns â *viſibili dependet* (non ut â cauſa; viſibile non facit videre hominem ſed tantum non impedimentum ponit oculo qvin ideas per hunc intellectus de viſibili facere poſſit) *& tamen ſecundum ipſum ſcientia Dei non dependet â re:* (Nihil hoc æternitati damni infert eſt enim iſtud dependere non tanqvam â cauſa:) *Nam,* inqvit, *adverſus originem æternum dependeret â temporali. Inſuper videns â movente ſpeciem continuo recipit: DEus autem neqvit â re qvicqvam accipere.* Hæc autem imperfectio â cognitione

nitione Dei ſeparanda eſt. Videt Deus ſine recepta ſpecie imaginaria dum ſcientia ſimpliciſſima in eo eſt. Cognoſcit enim nec per potentiam ab actu reapſe diverſam, nec per habitum eſſentiæ ſuperadditum nec per ſpeciem intellectorum nec per actum ab eſſentia revera diſtinctum. *Cum ergo vera ſit concluſionis probatio, conſiſtit in ſuo argumento firmamentum. Si Deus cognoſcit peccata ergo operatur.* Falſum. Nam dependere excognitione & objecto non eſt ſenſu proprio dependere ſed ſolum conſignare cognoſcentis & cogniti notionem. Itaqve uti Deus â poſſibili non dependet, qvanqvam poſſibile neceſſarium ſit objectum potentiæ Divinæ: ita nec ſcientia ejus ab objecto qvod ſcire poſſumus dependet licet id qvod ſcire poſſumus ſit objectum ſcientiæ divinæ. Qvia vero concluſionis probatio non eſt de Deo vera, utiqve corruit argumentum: Deus cognoſcit peccata ergo operatur. Qvanqvam vero veriſſimam de Deo in omnibus putat eſſe regulam Philoſophorum: *Scientia Dei cauſatur res;* Nihilominus connexionem argumenti negat Lucilius ſcribens: *His poſitis ad argumentum: cognoſcit Deus peccata ergo efficit, conſeqventia negatur. Ad probationem ſcientia Dei cauſatur res: dico propoſitionem hanc veram eſſe in rebus â voluntate humana non proficiscentibus, ſecus vero in actionibus voluntariis qvia ſi ſciens ſcientia Dei has efficeret neqvaqvam liberæ eſſent.* (a) Sed qvomodo voluntatem liberam ſtatuerit ê poſteriori patet exercitatione ubi ſecundum abſolutam voluntatem Deum velle peccata concedit & *Philoſophi*, inqvit, *nullo negotio hanc doctrinam rejiciunt.* (Scholaſticorum qvam prius adduxerat.) *Inqviunt enim: ſi nollet Deus peſſimas ac nefarias in orbe vigere actiones procul dubio uno nutu extra mundi limites, omnia flagitia exterminaret, profligaret-*

garetqve: Qvis enim noſtrum divinæ poteſt reſiſtere voluntati? qvomodo invito Deo patrantur ſcelera ſi in actu qvoqve peccandi ſceleſtis vires ſubminiſtrat? Ad hæc ſi contra Dei voluntatem labitur homo, Deus erit inferior homine, qvi ei adverſatur & prævalet. Hinc deducunt: Deus ita deſiderat hunc mundum qvalis eſt, ſi meliorem vellet, meliorem haberet. Non nego in ſpeciem contradictionis ad argumentum reſpondere. Sic enim ipſe ſibi appoſuerat: Si Deus vult peccata igitur facit. Neqve tamen mentem expoſuiſſe ſatis affirmo hunc qvi Deum velle peccatum permiſſive, non inferre ipſum peccandi actum dicens, timore inqviſitionis tantum hoc dicere fatetur, id qvod paulo ante prolatam reſponſionem factum ipſius lectione libri habetur. (b)

(a) Amphith. exerc. 15.

[b] ib. exerc. 16. in fine. Ibi verba leguntur qvæ §. 6. citavimus: Reſpondebo qvidem ad argumentum ſed ruinam pertimeſcens humi ſerpam &c.

§. 12.

Notandum inſuper: infine hujus libri de Fato Stoico qvæſtionem agitare, ſcribit, ſibi jam propoſuiſſe ſed ob occupationes coactum promittere in ſecunda Amphitheatri parte fuſe & prolixeſe pertractaturum. Sed pars illa, qvod ſciam, lucem non vidit. Interim modeſte concludit rogans lectorem, *ut ſi qvod ratione minus conveniens adverterit emendet, deleat, etiam obliteret, ſi ad ipſum hæc pertinuerit cenſura, ſi qva enim,* inqvit, *fortaſſe ſint (qvod tamen vix crediderimus) qvæ Eccleſiæ Romanæ inſtitutis decretis aut dogmatibus refragari vel re leviſſima videantur, nulla omnino & tanqvam non dicta & ſcripta eſſe velimus.* (a) Monendum porro, in hoc libro Lucilium plurima qvæ bona ſunt Scaligero debere, ut non

iniqvus

iniqvus cenſor inter fures eum librarios referre poſſit. Nam in prima exercitatione qva contra Averroem, Deum eſſe ex motu perceptibilem, diſputat omnia fere ex Scaligero hauſit nempe ejus libri Exerc. 6. §. 2. 3. Qvem tamen numqvam citat niſi prænomine qvod & ſibi impoſuit, neqve adeo lector videt ex alio hunc qvæ protulit exſcripſiſſe.

(a) Exercit. 50. fin.

§. 13.

Sed ne ultra qvam par eſt excreſcat noſtra diſputatio, feſtinamus ad ultimum ubi non tecte ſolum ut antea fecerat nonnunqvam ſed aperte res Atheorum egit Lucilius: *Julii Cæſaris Vanini Neapolitani Theologi, Philoſophi & I. U. Doctoris de Admirandis Naturæ Reginæ Deæqve Mortalium arcanis libri qvatuor initio titulus inſcribitur.* Lutetiæ apud Adrianum Perier impreſſus anno 1616. ſub privilegio Regis Ludovici XIII. In altera primifolii pagina ſcripta eſt approbatio: *Nos ſubſignati doctores in alma facultate Theologica Pariſienſi fidem facimus vidiſſe & legiſſe dialogos Julii Cæſaris Vanini Philoſophi præſtantiſſimi in qvibus nihil religioni Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ repugnans aut contrarium reperimus imo ut ſubtiliſſimos, dignisſimos qvi typis demandentur die 20. Menſis Maji* 1616.

F. Edmundus Corradin. Gvard.
Conventus Fr. Min. Paris.

F. Claudius le Petit
Doctor Regens.

Poſtea vero Facultas Theologica hunc librum comburendum judicavit referente Roſſeto qvi in Hiſt. Trag. de Lucilio ita: *Il fit revivre ce mechant & abominable livre qve l' on intitule les trois Impoſteurs qve l' on imprime à la veue & au grand ſcandale des Chretiens. Il com-*

Bayerische Staatsbibliothek München

composa un livre des cauſes naturelles, & le dedia â Monſieur Baſſompierre, il donnoit à la nature ce qvi n' appartient proprement qv' au Createur de l' univers & de la nature même. La Sarbonne de Paris condamna ce livre au feu &c.

§. 14.

Si de prioribus multa bonis mala vere mixta judicatur; in hoc libro peſſima optimis cohærere dicendum eſt. Qvippe totus non niſi dialogus inter Doctorem & diſcipulum. Qvam docendi rationem elegiſſe credo ut eo melius lateret qvid de religione & cultu veri Dei ſentiret, dum per ſingula Alexandri nomen diſcens & Julii Cæſaris docens præfert. Qvatuor vero modi fere ſunt qvibus Atheorum malitiam docet, aut enim argumenta eorum fidem ſuam Chriſtianam graviter premere prætexit ſic ut ni Chriſtianus foret ſe hæc vel iſta creditu-rum affirmet. Aut Atheos eam ſibi ſententiam objeciſſe cauſatur, qvam tamen in extremis diſſertationem abrumpens non refutat. Aut alibi ſe poſt motam controverſiam jam reſpondiſſe oſtentat ubi tamen non factum ſolide eſt: aut directe cultum Dei delibutum ivit atqve imminutum ſive ſerio ſive per jocum, nulli ipſi curæ eſt. Primus videtur modus contineri in iſto colloqvio ubi de cœli forma & motore ſermones cædunt. Alexander juvenis ſciſcitatur â qvo moveri videatur præceptori primus cœli orbis. *Julius non â Deo moveri vult qvia Deus eſt ſimplex & in actu habet omnia, in potentia nihil dominus temporis & infinitæ virtutis. Sit in primi mobilis motore eſt aliqvid ſimilis potentiæ, actio namqve craſtinæ revolutionis nondum in actu eſt, in potentia igitur ad illam eſt. Ejus inſuper actio eſt cum tempore & infinita ſecundum partes. ---- Si in Chriſtianorum ſcholis enutritus non eſſem.*

eſſem, aſſeverarem, cælum eſſe animal qvod â propria forma qvæ anima eſt, movetur. --- Sed qvia nunc pia religio qvosdam inceſſit qvo minus apponentibus cælo animam aſſentirentur, qvid libere profiteri poſſumus? I. C. Iſtud, ni falſus animi ſum, cæli molem â propria forma gyro agitari qvemadmodum elementa. In ultimis licet mitigaſſe de cœlo animali ſententiam videatur non tamen addit unde propria illa forma vel motus num â Deo ſit an minus.(a) Nam qvodcunqve movetur non ſtatim eſt animal niſi & mare idem dixeris. Deus ſane motum hunc Syderibus indidit in prima creatione, hinc moventur eo usqve dum ille deſtruxerit iterum. Nec ſentiens ineſſe ſyderibus anima cognita eſt; non audit latrantem luna canem: nec vegetans; non creſcit luna dum creſcere videtur: nec rationalis; nunqvam ulli mortalium certo innotuit intellectus cum voluntate ſyderum. Qvis ergo verbis ſine demonſtratione credere poteſt?

(a) De Arcanis Naturæ, dial. 4.

§. 15.

Ita qvoqve cum adverſus alios pie delirantes qvos dicit rationibus Aſtronomorum potius qvam Sacræ Scripturæ auctoritate pugnat ſuam dicere ſententiam rogatus, *ego vero*, inqvit, *concluderem ſi Chriſtianus non eſſem, mundi æternitatem cum montium originem non inveniam. Dicam tamen, montes â Deo factos iis in partibus qvæ cæli diſpoſitionibus congruebant.*(a) Præterea de affectibus hominum differens, *ego, ſi Chriſtianorum non eſſem ſoboles & alumnus, dicerem non Dæmonum perſvaſu homines ad flagitia impelli ſed â vitiatis humoribus.*b) Alexander qvoqve inducitur, *tot*, inqviens, *tantisqve homo repletus miſeriis, ut ſi Chriſtianæ religioni pro cujus tutela ſangvinem fundere percuperem, non repugnaret, dicere auderem:*

Si Dæmones dantur, ipſi in hominum corpora transnigrantes, ſceleris poenas luunt. Sed Divina dum perlego eloqvia Dei erga hominem innumera beneficia agnoſco certaqve ſpe ad æternitatem anhelo. c) Leviſſima tamen hujus Athei argumenta nemo non videt. Montium originem non invenio, ergo mundus æternus: ergo montes ſunt â ſemet ipſis. Non invenio (extra Scripturam qvam ſperno) eorum originem ergo non datur origo: ergo finitum poteſt eſſe â ſeipſo. Mundum montesqve in eo creatos â Deo ſacræ literæ teſtantur Pſ. XC, 2. Non ſibi contrariantur vitiatis humoribus & Dæmonum perſvaſu ad peccata impelli. Dæmones per vitiatos humores & per indirectum, dum occaſiones præbent mala perpetrandi, perſvadent. 1. Reg. XXII, 22. Si etiam Chriſtianus non eſſet Philoſophaſter unde probaret Dæmones, in hominum corpora transmigrantes poenas luere ſcelerum? Forte doctrinam Ægyptiorum renovare geſtiit qvam Pythagoras aliiqve in Græciam ex Ægypto tulerunt ibiqve profeſſi ſunt. Qvi cum animam ſpiritum, non ſolvi in principia ſimpliciora adeoqve non interire poſſe recte ſtatuerent in eo â veritate aberrarunt qvod homine mortuo eam in aliud corpus detrudi puraverint donec revolutione ſeculorum iterum in humanum corpus redire datum foret. Teſtem rei Herodotum habemus qvi lib. 2. in Euterpe hæc ſcribit: *Hi deniqve* (Ægyptii) *primi* (verba ſunt ex verſione Latina Heresbrachii) *extiterunt, qvi dicerent animam hominis eſſe immortalem, qvæ de mortuo corpore ſubinde in aliud atqve aliud corpus, ut qvodqve gigneretur, immigraret. Atqve ubi per omnia ſe circum tuliſſet, terestria, marina volucria, rurſus in aliqvod genitum hominis corpus introiret. Atqve hunc ab ea circuitum fieri intra annorum tria millia. Hanc rati-*

onem

onem ſunt ê Græcis (Pherecides, Pythagoras Plato) *qvi uſurpaverint tanqvam ſuam ipſorum, alii prius, alii poſterius. Qvorum ego nomina ſciens, non duco ſcribenda.*

(a) Dial. 23. p. 135. (b] Dial. 49. p. 339. [d) Dial. 50. p. 353.

§. 16.

Qvam ſupra recitavimus cum Belga diſceptationem Cap. 2. §. 6. Julius Cæſar (qvo alter fallendi modus apparet) ita finit: *Hoc profecto Cardanus vix crederet qvi Atheos contrariæ ſententiæ fautoribus mortem non minitari cenſuit.* Poſtea ſtatim recitantur verba Cardani qvæ de Epicureorum mortalitate animæ protulit & nos jam retulimus c. I. §. 16. Celiam qvoqve memoratam c. II. §. 11. poſt Cardani de Heliæ morte relationem objectam ab Atheo ita reſcindit Julius Cæſar cum ad ea reſpondere debet: *Qvæſo mittamus has nugacisſimas fabellas.* Sic cum recitaſſet Anabaptiſtæ opinionem de controverſiis Chriſtianorum citatam c. II. §. 5. & Alexander mendacium dixiſſet, contentus illa reſponſione Julius Cæſar, ita eſt, inqvit, *ſed qvia nimia diſputationis agitatione incaluimus ac propterea caloris vi cute adaperta attenuati motu ſpiritus complures evanuerunt; merendam nobis exhibete ô pueri.* Digreſſione qvoqve fraudulenta utitur in recitanda lege Hebræa de vetita ſuilla carne. *Nihil enim palato meo injucundius* Julius Cæſar dicit. Alexander: *Forſitan ut Moſaicis viris in ſuilli cibi vituperatione placeas. Julius Cæſar: Penſate voi. Vetuſti Philoſophi Hebræorum cerimoniolas irridebant. Atheorum vero reſponſionem qvi ad politicum regimen id referunt (noxia etenim erat Hebræis, qvi lepra laborabant) deteſtans nego Præſiis jovem Cretenſis in idæ vallibus pro nutrice ſuem habuiſſe.* (a)

(a) Dial. 8. p. 46.

§. 17.

Imo periculosam hanc refutandi Atheos rationem toto de prima hominis generatione dialogo (a) adhibet. Quæsitus de prima hominis formatione Julius Cæsar, *Diodorus*, inqvit, *Siculus prodidit hominem fortuito ê limo terræ genitum.* Alexander: *At si ita est, cur post orbis primordia, qvæ â qvingentis mille annis Atheus ille seduxit, ex hujusmodi procreatione nullus extitit genitus?* Julius Cæsar: *Non desunt & alii qvi hanc fabellam pro vera historia crediderunt. Syderum enim conventu asserunt fieri aliqvando posse formas qvæ in materia ita imponantur ut homines ad hunc modum nasci qveant.* Alexander: *Qvibus cœlorum circumactionibus id hactenus fieri compertum est? Aliqvando sane extitisset. Forsitan si cum mendacibus Græculis Deucalionis & Pirrhæ saxa admittamus? Julius Cæsar: Hieronymus tamen Cardanus huic videtur adhærere sententiæ. Nam in hæc verba prorumpit: Nec solum tam minuta sed & majora animalia ê putredine, imo omnia credendum est originem ducere, cum jam de muribus constet & pisces in aqvis recentibus sponte generentur. Alexander: Egregium sane Cardani argumentum: Mus ê putridine potest nasci ergo & homo potest. Julius Cæsar: At subdit ille: Nam cum putredo præcesserit pingve separatur â cinere calorqve confestim animam infundit illi materiæ aptam. Alexander: Non deest ubiqve magna putredinis moles, cur igitur nunqvam exputri ortus est bos vel eqvus? Julius Cæsar: Imo ipse qvem dixi Diodorus ait: Ubi aliqva in parte Nili fluvii lectulus aqvis destitutus forte fuerit exlimosa illa materia soli exposita vatissimos prodire animantes. Alexander: Non ego huic mendacio subscriberem. Julius Cæsar: Alii somniarunt ex siniarum, porcorum & ranarum putredi-*

tredine genitum primum hominem iis enim est in carne moribusqve persimilis. Qvidam vero mitiores Athei solos Æthiopes ex simiarum genere & semine prodiisse attestantur qvia & calor idem in utrisqve conspicitur. Alexander: Miror profecto cur ex ipsa hominis rectitudine non agnoscant præcellentiorem in homine qvam in brutis ōriginem. Julius Cæsar: *Imo primævos homines curvos qvemadmodum qvadrupedes ambulasse Athei vociferantur, nam & cum consenescunt fieri ut veluti qvadrupedes incedant, industria igitur factum esse asserunt ut pueruli compressis brachiis colligentur. Alexander: Percuperem hujus rei experimentum videre: an puer recens natus inter nemora educatus qvadrupes evaderet. Sed missa hæc facimus Atheorum deliria & fides sit penes præscripta religionis.*

(a) Dial. 37.

§. 18.

Hic videmus clarissime hominem verbis Diodori & Cardani Atheismum incrustare nempe primum hominem esse effectum naturæ Deæ suæ cujus operatione ut cætera sic & hoc esse animal productum statuit. Testimonium vero Diodori Siculi nullum est qvum exceptione omni gravius in verbo Dei legamus. Gen. I, 26. 27. Sed objicis syderū qvorundam concursu statis temporibus eorumqve per plurima secula durantibus effectibus hoc demum accidere, qvorum operatione forma exit qvæ materiæ terrestri impressa fit homo. Verum enim vero qvæcunqve in toto cœlo sydera hærent, nec unicum eorum intellectum habet & voluntatem seu rationem qvi ergo alteri hoc dare possent qvod non habent. Si intellectum haberent & voluntatem imo vitam, hoc certe manifestarent cum maxime opus est, nempe cum de ipsorum ho-

nore

nore vel ignominia res agitur. Perſæ Solem Deum coluere, ſed is nunqvam vitæ ſuæ nec actionum vitalium nempe loqvelæ in ſummo periculorum conſtituris tempore Codomanni vel auxilii vel vindictæ indicia dedit. Alii eum acerrimis diris devovent nihilo minus & his ipſis lucet ut Perſis nec unqvam ſe hanc ob rem iraſci vel iraſci etiam poſſe probavit. Omnis res intelligens ſanoqve ſenſu prædita ſi qvid alicui boni fecerit non id juxta habet qvocunqve modo beneficia rependere ſtudeas. Non patitur in qvoqvam amor ſui & ipſius juſtitiæ id tacendo negligere qvod in ſuam ignominiam dirigitur. Nam motus ille in circulo non ſane intellectus vera probatio habebitur. Cardanum pergit in Nilo dicere maximas beſtias generari. Si daremus ei rem ita ſeſe habere & ſolis calore ad animam aliqvid contribui corpoream illam pecorum NON tamen dici poteſt, fieri iſtud ſole ſyderibusqve tanqvam cauſis omnium primis cauſantibus, dum in lectulis multis eadem limoſa materia oneratis, eodem calore ſolis eodemqve illapſu ſyderum præditis nullas plane animantes offendas. Qvid enim? omnibus ſæpe naturalibus cauſis in actu poſitis nec ulla labe infirmis nihil in mundo effici deprehendes licet tot millia hominum omnibus artibus ardentibusqve votis id expetant. Hoc ſane cauſam primariam cauſantem vel impedire vel non ſimul influere arguit. Qvis ab inſectorum generatione ad hominis creationem niſi demens conjecturam producit? Ex ſimiarum porro ranarum porcorumqve ſangvine alios dicere genitum hominem affirmat. Sed cauſa eſt primo ridicula, qvia homo iis eſt perſimilis. Deinde ſi foret hoc verum unde porci & ranæ? â ſole: unde ſol? Niſi Deum crediderit ſolem vaninus Ethnicæ Philoſophiæ ſtudioſiſſimus, qvod ob ad-

hæren-

hærentes ſoli totiqve mundo maculas imperfectionesqve non poteſt, ad cauſam excellentiorem progrediendum qvæ non eſt Natura Dea, hæc enim infinitum abhorret, ſed naturæ creator Deus. Ex hominis recta forma corporis præcellentiorem originem, non caute concludimus. Infans inter bruta educatus ad eorum modum & qvadrupes ibit, nec deſunt exempla ejusmodi puerorum in Polonia inter urſos, regnante Johanne Caſimiro, inventorum. Sed num propterea ad generandum vel primo creandum non vi excellentiori opus erit qvam ſolis ſyderumqve concurſu qvem dicit ad mures vel ſimias progenerandos ſufficere? Diceres ultima legens adeo correptum eſſe tædio rerum oppoſitarum ab Atheis ut nihil poſtea proferre voluiſſet: ſed ſimulato faſtidio neqvid reſpondere ad illorum explicata dubia cogatur, eandem telam pertexere ita ſtudet. Nam hæc ſtatim ſeqvuntur verba.

§. 19.

Sed cur factus eſt homo? Julius Cæſar verba regerit qvæ ſupra notavimus §. 7. c. 1. ex Averroe. Poſt Alexander: *Acute ratiocinaris. At ego credebam creatum hominem ut reliqvis imperaret animantibus. Julius Cæſar. Audesne dicere hominem baſilisco imperare? Alexander: Qvinimo interficiet homo baſiliscum, nedum illi imperabit. Julius Cæſar: Et hominem baſiliſcus, par igitur imperium. Verum enim vero ibi eſſe imperium arbitrantur ſapientes ubi ſervitus aut obedientia. At qvis hominum vel baſiliscis vel apibus vel hirundinibus vel balænis vel aqvilis conſtituit rempublicam? Profecto ſi feras capit homo, ſæpius capitur ab ipſis. Crocodilus ê Nilo ſola cauda venatur bibentes nexibusqve implicitos ad ſe trahit: item flagellis polypus urinatores. Deniqve ſi interficit homo, in-*

terficitur qvoqve ; ſi vorat, voratur. Al: *Hæc autem animalium in homines rebellio poſt peccatum evenit. At cum in illis beatiſſimis innocentiæ elyſiis parentes noſtri felicem degebant vitam omnia illis obediebant animalia, ô auream ætatem!* J. Cæſ. *Ne ingemiſcas nam & poſt peccatum oviculæ parent hominibus & ante peccatum ſerpens præd:* (abbreviat vocem qvaſi perſona loqvens interrupto ſermone ceſſaret cogitata proferre) Al: *dictum puto* Jul. Cæſ. *Id ipſum ego volebam dicere. Felicem Adæ culpam qvæ talem ac tantum meruit habere redemtorem, non enim animantibus ſolum nunc imperamus ſed et Angelos ipſos pro pædagogis habemus. Sed qvæſo hæc doctis Sorbonæ ſenibus relinqvamus & noſtra ſi placet in Philoſophicis exerceamus ingenia* Al: *Non recuſo.* Hominem ideo etiam creatum ut reliqvis imperet animalibus de eo certiores Sacræ Scripturæ auctoritate ſumus Gen. I, 26. qvod repetitum invenimus poſt factum Adami cum eo tamen ut omnia non ſine periculo laboreqve multo fierent c. I, 17. 18. 19. Imo imperium humanum in omnem terram conceſſum eſt, non ſolum in animalia. Hinc homo intellectus magnitudine omnes beſtias ſuperat, ſibiqve ſubjicit. Egregius hanc in rem locus eſt apud Senecam de Beneficiis L. II. c. XXIX. ubi, *qveruntur*, inqvit *qvod non magnitudine corporis æqvemus elephantes, velocitate cervos, levitate aves impetu tauros: qvod ſolidior non ſit cutis belluis, decentior damis, denſior urſis, mollior fibris: qvod ſagacitate nos narium canes vincant, qvod acie luminum aqvilæ, ſpatio ætatis corvi: multa animalia nandi facilitate. Et cum qvædam ne coire qvidem in idem natura patiatur, ut velocitatem corporum & vires pares animalibus habeamus: ex diverſis ac diſſidentibus bonis hominem non eſſe compoſitum, injuriam vocant: & in negli-*

gligentes noſtri Deos qverimoniam jaciunt qvod non bona valetudo & vitiis inexpugnabilis data ſit, qvod non futuri ſcientia. Vix ſibi temperant qvin eo usqve imprudentiæ provehantur ut naturam oderint qvod infra Deos ſumus, qvod non in æqvo illis ſtetimus. Qvanto ſatius eſt ad contemplationem tot tantorumqve beneficiorum reverti & agere gratias qvod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt ſecundas ſortiri, qvod terrenis præfecerunt. Aliqvis ea animalia comparat nobis qvorum poteſtas penes nos eſt? qvicqvid nobis negatum eſt, dari non potuit. Proinde qvisqvis es, iniqvus æſtimator ſortis humanæ cogita qvanta nobis tribuerit parens noſter, qvanto valentiora animalia ſubjugum miſerimus, qvanto velociora conſeqvamur: qvam nihil ſit mortale non ſub ictu noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus tot artes, animum deniqve cui nihil non eodem qvo intendit momento pervium eſt, ſyderibus velociorem, qvorum poſt multa ſecula futuros curſus antecedit: tantum deniqve frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias acervatarum. Circumeas licet cuncta: & qvia nihil totum invenies qvod eſſe te malles ex omnibus ſingula excerpas, qvæ tibi dari velles. Ita bene æſtimata naturæ indigentia, confiteris neceſſe eſt, in deliciis te illi fuiſſe. Precarium vero nimis imperium eſſe dicit Lucilius inter belluas & hominem, qvia beſtiæ ſæpe interficiunt homines. Sed Reges ſubditos rebelles experiuntur, nihilominus imperant & ideo conſtituti ſunt ut imperent, juſtaqve poena afficiunt. Apibus & hirundinibus licet ineptæ ſint, ad rempublicam conſtituendam, nihilominus utitur homo. Non ideo ſuperiorum deſinit imperium licet ſubditos ſæpe repugnantes experiantur. Imperare eſt cuncta in fines ſuos dirigere. Hoc utitur homo in omnes res terreſtres. Si

qvo in actu deficit homo, id juri ejus non derogat, uti nec istud, si unus alterve eo minus bene utatur, imperio toti humano generi concesso derogare potest.

§ 20.

Sic fraudem tertii modi committit scribens se Plutarchi opinionem cur oracula defecerint optime in Amphitheatro confutasse. Nam is vim vaticinandi ad scripserat Sibyllæ & oraculo: *Sibyllæ qvia â seipsa disposita erat ad vaticinandum idqve propter spirituum agitationem in corpore, qvi varias rerum imagines repræsentant: oraculo, qvia eo loci exhalabant vapores qvi ad cantandum nos excitant: cum igitur desierunt hi vapores & oracula cessare ceperunt* inqvit Plutarchus.(a) Inspectus sedulo locus in Amphitheatro, qvem in hoc libro citaverat, iterum lectorem ad Apologiam pro lege Mosaica perlegendam seducit ubi se rem optime refutasse dicit. Dumqve omnes non ubivis obvii sunt libri, optime latere putavit sententiam suam Lucilius. Nam in Amphitheatro nihil nisi solam ad dicta Plutarchi negationem infert futuri prædictionis ê vaporibus absqve ulteriori argumento, cum concessione virium â vaporibus adscendentium, *qvasi possent hominem ad carmina cogere canenda velut ex oraculo factum Plutarchus antea dixerat.* Et qvæ ibi sequuntur contra Cardanum scripta sunt, minus commode rem astris â se nominatis adscribentem qvo ipso non negat aliis astris rem melius adscribi posse. Finitur qvidem in Amphitheatro optima hac clausula exercitatio: *Qvare cum varia tamqve pugnantia adducat Cardanus, irridendus potius qvam refellendus & Sibyllina responsa majori & dignori principio adscribat necesse est.*(b) Sed omisso hujus libri ab ipsomet habito despectu jam supra notato, iterum relinqvi ab ipso dubium dicimus cui prin-

principio? Deone? at is oderat oracula Ethnicorũ, an Angelis? Sed nec Calodæmones credidit nec Cacodæmones. Et de Intelligentiis opinionem in hoc libro deſtruxit. (c)

(a) Dial. 51. p. 385. [b) Exercit. Amphith. 7. [c) Dial. 53. p. 395. 396.

§. 21.

Plutarchi hæc ſententia tamen conficta eſt. Vaporibus qvidem homines occupari poſſunt velut ebrii, ut neſciant qvid loqvantur, ſed exinde ſpiritum propheticum recipere & futura prædicere contra ſanam rationem eſt. Unde Gerhardus Johannes Voſſius L. I. c. 6. p. 43. de idolol: Orig: & progr. ait, *mirum eſſe cujusqvam paulo cordatioris animum in tam frivolis potuiſſe acqvieſcere.* Verior ſententia eſt oracula ortum habuiſſe â Dæmone ſimio ac æmulo Dei, uti enim Deus in ſuo cœtu & Eccleſia cum Moſe aliisqve ſanctis locutus eſt mentem ſuam iis explicans; pari modo & Dæmon varia oracula condidit ac ex illis locutus eſt cum hominibus futura ſcire deſiderantibus. (a) Vera autem cauſa ſilentii oraculorum eſt qvod propter reſponſa incerta indeqve profectam fallaciam paſſim contemta fuerint (b) unde merito Poeta:

Inconſulti abeunt ſedemqve odere Sibyllæ.

Donec tandem poſt Salvatoris noſtri adventum omnia ſucceſſu temporis conticuerunt. Hic enim ideo venit ut opera Dæmonis diſſolveret ac diſturbaret. (c)

(a) Dan. Claſen. de oracul. gent. l. 1. c. 6. 7. [b) Paulus Oros. l. 6. c. 15. p. 456: 457. (c) id. Claſen: c. 25. 26.

§. 22.

Non placet Lucilio hæc ſententia ſed Ariſtotelis potius qvem ita differentem introducit: *Omne progenitum*

tum in unaqvaqve ſpecie incrementum ſuſcipit, ſtatos habet dies & tandem abit in corruptionem, qvam cum nova generatio ſubſeqvatur neceſſe & præcedere diſpoſitiones atqve illius diſpoſitionibus eſſe contrarias, niſi enim diſpoſitiones generationis ſuperarent diſpoſitiones corruptionis, non fieret generatio cum nihil generetur niſi adæqvatæ adſint in materia diſpoſitiones, qvemadmodum nihil corrumpitur niſi corrumpantur etiam diſpoſitiones ſubjecti conſervatrices. Qvæ regula non modo vera eſt in particularibus hominibus ſed in urbibus regnis & religionibus, ut innuere videtur Ariſtoteles ---- Ex his licebit concludere & oracula incepiſſe & deſiiſſe qvemadmodum omne individuum generable & corruptibile: verum corruptionem inſeqvitur generatio, qvæ ad illam contrarias habet diſpoſitiones ideo ad unius legis ceſſationem alia ſuccedit lex contraria penitus --- Cum igitur Ethnicorum religionis ſenectus acceſſit & corruptio inſtabat, primo corrumpi debebant illius legis diſpoſitiones: hæc autem erant oracula qvæ propterea deſierunt atqve illico in ejus locum alia ſubrogata eſt legis forma vetuſtæ ê diametro oppoſita. Verum qvia aliud facile homines de una religione ad aliam pertranſeunt, ideo in novæ legis adventu admiranda opera fiunt. Sane nulla eſt lex qvæ ſui ortus miracula non deprædicet. Qvare â cæleſtibus corporibus unus ê ſanctis animalibus homo eligitur cui confertur poteſtas admirabilia operandi & maxime curandi langvores. Nam qvæ in herbis, lapidibus & animalibus omnibus præcipuæ virtutes conſperſæ ſunt qvaſi in unum colligunt & uni tribuunt ut alter Deus habeatur. Id circo ubi novæ leges initiis qvis reſiſtere audet, ſtatim ab intelligentiis terretur inſomniis & vigiliis tetris apparitionibus atqve ita cæleſtia corpora pro mortalium beneficio religiones ædificant. Sed pro-

probatum dedimus aſtris non eſſe rationem ut poſſint hominem eligere cui poteſtatem miracula operandi conferant. Mirus porro argurator, Ethnicorum, inqvit, oracula deſierunt qvia diſpoſitiones Ethnicæ religionis debuerunt corrumpi. Sed id qværitur cur & â qvo illæ corrumpi debuerunt? Reſpondet qvia omne progenitum in unaqvaqve ſpecie incrementum ſuſcipit, ſtatos habet dies & tandem abit in corruptionem. Sed iterum hujus corruptionis cauſam qværo? Generatio ſane rei non eſt cauſa corruptionis vel deſtructionis ſed perfectionis. Fallacia ſecundam non cauſam ut cauſam. Si qvis excedere vita cogitur non eſt cauſa ceſſionis alterius loci occupatio ſed vis ea qvæ cogit alterum vitam ponere. Adde generationem & corruptionem eſſe actus corporum, non rerum intellectualium qvalis religio. Nec aſtra in intellectum influunt. Qvicqvid incipit, deſinere poteſt ſed actu non neceſſario deſinit. Turcarum Ethnicorum leges multis miraculis plenæ crepantur; ſed qvia falſo, hinc religionis Chriſtianæ veritati iſtud non derogat. Virtutes in herbis aut lapidibus ſparſas ſi colligunt aſtra, Apoſtolorum temporibus, qvibus conceſſum erat miracula adminiſtrandi, illis nihil virium remanſit, nam tum plurima facta ſunt. Sed nemo homo ſenſit eo tempore virtutem herbarum & lapidum qvam fuerat antea, debiliorem. Intelligentiæ inſomnis terrentes homines merum Vanini ludibrium qvo fucum facit lectoribus easdem nunc adſtruendo nunc deſtruendo ut libet ſeu ê re ſibi ſua eſſe videtur. Ex omnibus Lucilii argutationibus nil niſi poſſe rem eo qvo prætexuit, modo, eſſe ſeqvitur. Nobis probandum incumbit rem ita fieri non potuiſſe qvod ſupra c. II. §. 3. facere incepimus oſtendendo miracula omnia non niſi â Deo creari poſſe. Jam

iſtam

iſtam pluribus probationem corroborabimus. Veritate æterna haurimus ſententiam Deum ſolum miracula facere Pſ. 136, v. 4. Eadem qvoqve aſſerimus diſcipulorum Chriſti qvorum facta prædicatione oracula evanuere, miracula ſolius Dei fuiſſe Luc. 16, v. 17, 18, 20. Ergo non ſunt â cœleſtibus corporibus effecta. Non langvores curarunt ſolum viri Divini qvam dicit ex herbis hauſtam potentiam ſed mortuos qvoqve ſuſcitarunt, qvod alteri argumento anſam præbet. In morte enim nullum amplius hominem videmus qvi qvondam qvisqvam re vera fuit. Sed ê nullo aliqvem reficere opus eſt infinitæ potentiæ, nihil enim & aliqvid ob contradictionem infinitæ ſunt diſtantiæ, horum ergo mutationi infinita vi opus eſt. Adeoqve Deus qvi ſolus infinitatem poſſidet mortuos & nullos vivos reddit & re vera tales recreat; aſtra vero miracula non faciunt. Hoc duplici patet argumento: Sanctorum virorum facta non mirabilia tantum ſed miracula, Deumqve ſolum eorum cauſam eſſe. Nunc ab altera parte herbarum aſtrorumqve potentiam infirmam miraculis perficiendis reſtat iſtamus. Non ſunt patrandis iis apta qvia aſtra finita ſunt. Aſtra eorumqve vires poſſumus homines intellectu noſtro capere; herbarum finitam ſanandi vim mente percipimus & ſecundum gradus diſtingvimus. Sed vim iſtam miraculorum qvæ qvod non eſt facit eſſe ejusqve rei modum non comprehendimus. Ergo vis iſta non eſt in aſtris nec herbis; ſed in alio qvi ſe perficere miracula dixit, omnium rerum creatore Deo recte ſtatuitur. Effectus enim cauſa nobilior eſſe non poteſt qvod ſane fieret ſi finita corpora infinitæ potentiæ opera perficerent. Huic ſuccedit altera cauſa qvæ intellectu careret ſydera & voluntate nullo harum facultatum effectu

edi-

edito probat, qvam & ſupra induximus contra Vaninum. Sed inſpirare rerum futurorum certam notitiam, mortuos ſuſcitare, dæmonia ejicere, & qvæ ſunt alia, cauſam arguunt mente præditam qvam qvia non habent aſtra nec miracula facere poſſunt. Deniqve ſi aſtra ſtatuimus, miracula edere, aſtra res nobis ſtultiſſimæ maximeqve omnium intelligentium inſulſæ erunt, qvæ perficiunt miracula & hominibus inſpirant ut omnibus perſvadeant hoc verum non eſſe ſed cauſam eorũ ab ipſis eſſe alieniſſimam. Id qvod Vaninus neceſſario fatebitur dum ſtatuit aſtra hominem eligere eiqve conferre illam vim mirabilia perficiendi ob Eſa. 47, v. 13. Imo ipſe hoc Vaninus argumentum Atheis oppoſuit ut nulla ipſi negatorum Dei miraculorum excuſatio ſuperſit niſi periculoſus error Scripturæ Sacræ incertæ atqve dubiæ qvem ad cineres usqve tenuit miſerrimus mortalium.

§. 23.

Sed aliam rationem ſubnectit in qva non minus Atheis optime convenientia retulit ſcribens: Addatur & alia ratio ſecundum Philoſophos *nam juxta eorum opinionem, maxime Platonis & Ariſtotelis mundus eſt æternus neqve infinita ſecundum ſpeciem eſſe poſſunt neqve unqvam fuerunt nec erunt, qvoniam ex corruptibilibus nihil ſecundum individuum poteſt perennare. Ea de cauſa qvi nunc ſunt in uſu ritus, centies millies fuerunt, totiesqve renaſcentur qvoties ceciderunt nihilqve eſt qvod ſimile non fuerit & cui ſimile non erit qvandoqve: deniqve nihil eſt aut erit qvod non fuit nihil fuit qvod non erit. Qva de re cum continua & æterna ſit talis vicisſitudo habet cauſam æternam. In nullam autem aliam cauſam reduci poteſt niſi in cœleſtia corpora, Deum & Intelligentias, ergo â corporibus cœleſtibus* (qvis ſit ipſi Deus qvo fallit

hic lectorem postea videbimus) *qvibus ex Dei mandato Intelligentiæ præsunt, leges originem ducunt incrementa & interitum. -- Qvælibet religio in suo ortu & interitu non in medio miracula ostentat cujus rei ratio illa est qvia in longissimis temporis intervallis potentissimæ intercedunt planetarum conjunctiones qvo tempore novam religionem clarissimis experimentis Astronomi comprobant & ego validissima ratione. Ea est.* (Qvid dignum tanto feret hic promissor hiatu?) *Qvia ex magnis syderum conjunctionibus inferiora hæc summam cum nanciscatur potestatem admiranda opera proferunt. Insuper hominem voluntates tunc immutantur, phantasia qva intellectus voluntatis consiliarius utitur, cælo subjicitur. Qvare vir sapiens sacros æterni nominis honores appetens cum hæc futura prævidet, Prophetam â Deo missum se prædicat: qvæqve necessaria cælestium corporum vi miracula fiunt confictæ sui ipsius omnipotentiæ adscribit atqve ita delusa plebecula illum admiratur & adorat: sane ea miracula vocitantur qvæ post longissimas cælorum circuitiones accedunt, non qvæ naturæ vires exsuperant. Sic igitur ad Qvæstionem propositam responderi potest: desierunt oracula, qvia inceperunt. Nam juxta præcedentes suppositiones, qvicqvid incipit, desinit. Desinere autem non potest nisi dispositiones contrariæ adveniant veluti non corrumpitur sangvis menstruus nisi introducantur dispositiones hominis formatrices, qvæ prioribus adversantur: sic post oracula advenit lex illis opposita, apud posteros etiam oraculorum lex vigebit: Ita sangvis menstruus corrumpitur & generatur homo sub cujus forma ille delitescit & tandem vegetiori spiritu ac vita imbutus palam se prodit. Est tempus infinitum ratione motus qvem subministrare nunqvam deerit æternus motor* (hic motor ipsi propria mundi forma est ut diximus)

at

at infinita ſecundum ſpeciem eſſe non poſſunt, igitur qvæ interierunt â cælorum circumactionibus poſtliminio in vitam revocabuntur ſecundum ſpeciem non ſecundum individuum ut Plato ſomniavit. Subtiliſſimæ Philoſophiæ noſtræ rudimenta pariunt hæc præclaru facinora: at in Chriſtianæ fidei obſeqvium ea libens deteſtor, imo tacite jam deteſtatus ſum anteqvam joci ergo excogitaſſem. (a)

(a) Dial. 52. p. 385 - 391.

§. 24.

Sed enim æternus ſi mundus Vanino cum Ariſtotele eſt, eundem & infinitum adeoqve Deum eſſe ut ſtatuat neceſſe habet: at poſterius eſt falſum nam hac ipſa hora cum multis rebus tranſeunte finitum experimur, ergo & prius. At infinitum ſecundum ſpeciem dicit. Verum ſpecies remotis omnibus individuis nullum eſt ens niſi rationis. Mundum vero non æternum eſſe inſciens fraudis Scriptura dicit in principio â Deo omnia creata afferens Gen. I. 1. Joh. I, 3. Qvamlibet religionem in ſuo ortu & interitu, non in medio miracula oſtendere falſum eſt. Adſpiciamus judaicam religionem ſecundum fidem ipſam dein ſtatum reipublicæ. Ab ipſius Abrahami ad Moſis usqve tempora non fuit ſine miraculis illa religio. Non enim eam ob cauſam ſolum miracula fiunt ut inſtituatur religio ſed ut etiam confirmetur, ab hoſtibus defendatur, religioni adhærentes in fide corroborentur. Imo ab ipſo inſtitutæ rei publicæ ſtatu primo incipiamus de miraculis inter judæos factis numerum inire. Initio qvidem ſatis miraculorum Moſis tempore fuit, ſed & ſub Joſua bene multa accidiſſe legimus. Et temporibus judicum & Regum & ante & poſt ipſorum migrationem Babylonicam. Aut ergo eædem planetarum conjunctiones factæ tunc brevi qvoqve luſtro in or-

bem redierunt, qvæ poſtea per multa ſecula ceſſarunt, qvod ipſis Aſtronomis ridiculum, aut unus concurſus per tot annos effectus varios habuit qvod rurſus falſum nam ratio nulla ex aſtris vera dari poteſt cur per tempus aliqvod verbi cauſa 20 annos miracula ceſſarint poſtea iterum viſa ſint, poſt hæc 30 vel 40 annis elapſis iterum facta, nunc multa nunc pauca fuerint. Cardanus illum aſtrorum concurſum qvi tempore nati Chriſti fuit obſervatus per aliqvot millia annorum effectus ſuos extendere opinatur. Sed in Eccleſia Chriſti ceſſarunt miracula & effectus ille non amplius offenditur, ad preces autem piorum ſæpe miranda adhuc fiunt qverum effectus non poſſunt cauſis naturalibus adſcribi & eadem tantum in Eccleſia Chriſti cum tamen aſtra ulterius in orbe effectus ſuos extendant. Non eſt jam inſtituti noſtri multa exempli loco adducere, interea lectorem rogatum volumus videantur qvi de hac materia ſcripſerunt viri. (a) Non eſt ſapientis confictæ ſuæ potentiæ miracula adſcribere ſed deceptoris & ſtulti, nam qvi rem poſtea rectius cognoſcent non ſapientem laudabunt ſed veteratorem peſſimum execrabuntur. Sane mentitur improbus homo nec probat ea miracula vocitari qvæ poſt longiſſimas cœlorum revolutiones accidunt, non vero eſſe qvæ naturæ vires ſuperant. Qvalis ipſius Philoſophia, tales ſunt inde natæ concluſiones. Sed miſera eſt, multis probationibus falſis & ubi debuiſſent adeſſe nullis agerrima, maxi neqve ebria; hinc non niſi ſceleroſa verèqve ſic dicta facinora turpia nempe ex ea progignuntur. Nec laudem hanc effictæ ſuæ Philoſophiæ nec excuſationem joci prætexere debuiſſet niſi impius audire cuiqve Chriſtiano voluiſſet. Doctrina aſtrorum ſuperioribus ſeculis nimis obſcura fuit. Noſtris temporibus clarior

eſt

eſt iisqve osſtenditur, aſtra corpora eſſe terræ noſtræ non diſſimilia, adeoqve ad operationes tales inepta. (b.)

(a) Videatur Kortholtus in libellis Theologicis Germ. Theologiſche Tractätlein vom eiſernen Ringe. Valentin Greatrakes Esq: of Afane imy Comty of Waterford in the Kingdom of Irland, famous for curing ſeveral diſcaſes and dis temperes by the Stroak of his hand only, anno 1666. Pechlin. l. 3. obſ. 31. ſeq. Kranz l. 14. Wandal. c. 17. (b) Vid: Antonii le Grand: Inſt: Philos: P. 5. c. 11. §. 18. c. 14. §. 5 c: 24. §. 15. Qvi plura de abuſu aſtrorum illapſus legere cupit huic ſatis facere poteſt erudita diſſertatio qvæ legitur in Joh. Chriſtophori Sturmii Philoſophia eclectica ſub tit. De ſiderum influxu ubi c. 2. Aſtrologorum qvorundam imprudentiam maxime dubia imo falſa pro abſoluta veritate venditantes taxat.

§. 25.

Tandem aliqvando rem ſerio agere non negat Lucilius cum, *Naturam Dei facultatem imo Deum ipſum* dicit, *nimirum Naturam eam qvæ ut artifex qvamlibet induſtrius opus feliciter nichoatum perficere neqvit ubi materia improba eſt, ſic materiam nacta inidoneam omnia vitioſe agit.* (a) Et interrogatus ab Alexandro in qvanam religione vere & pie Deum coli vetuſti Philoſophi exiſtimaverint Julius Cæſar, *in unica*, inqvit, *Naturæ lege qvã Natura qvæ Deus eſt (eſt enim principium motus) in omnium gentium animis inſcripſit. Cæteras vero leges non niſi figmenta & illuſiones eſſe aſſerebant, non â Cacodæmone aliqvo inductas (fabuloſum namqve illorum genus dicitur â Philoſophis) ſed â Principibus ad ſubditorum pædagogiam excogitatas & â ſacrificulis ob honoris & auri aucupium confirmatas non miraculis ſed ſcriptura cujus nec originale ullibi adinvenitur, qvæ miracula facta recitet & bonarum ac malarum actionum repromiſſiones polliceatur, in futura tamen vita, ne fraus detegi poſſit, qvis enim inqviunt, inde redux? Atqve ita ruſticana plebecula in ſervitio coërcetur ob metum ſupremi Numinis qvod omnia inſpiciat &*

pœnis & præmiis cuncta compenſet æternis. Qvare Epicureus Lucretius cecinit: Primos in orbe Deos fecit timor. (b) De maledictione matri viventium primæ annunciata ſic loqvitur: *Infans ob adſtricta uteri veſtibula (ob Evæ lapſum Chriſtiani, inqviunt, qvod Ethnici Philoſophi percipere non potuerunt, cum & bruta peccati expertia eandem pati miſeriam adverterint) acerrimo parturientis cruciatu in vitam producitur.* (c)

[a] Dial. 40. p. 255. (b) Dial. 50. p. 366.
(c] Dial, 41. p. 166.

§. 26.

De vario Naturæ vocis uſu & abuſu ad qvem dicta Lucilii referenda ſunt videantur alii qvi hoc argumentum plane abſolverunt ut pluribus non opus ſit de re iſta diſputare. (a) Id ſolum notandum eſt Lucilium hic per ipſum Deum non niſi mundum ſeu hoc univerſum corporeum & adſpectabile intelligere, incluſa generali illa vocis Naturæ ſignificatione qvæ conſtantem ſtabilemqve rerum ordinem innuit mundanorum corporum indeqve pendentes motus & viciſſitudines ordinarias ac perpetuas involvit. Qvo ſenſu non poteſt numero Naturaliſtarum eximi. Nam ſic Deus non eſt natura ſed auctor illius naturæ ordinis. Impia vero placita ſunt qvæ nomine vetuſtorum Philoſophorum in medium trahit qvaſi ſola naturæ lege Deum pie colere poſſis. Qvibus poſitis omnes fidei Chriſtianæ articulos natura ignoros rejicit. Horum vero ignorantia condemnationem æternam ſecum trahit juxta dicta Scripturæ Luc. XVI, 15. 16. Joh. III, 36. Cæteræ leges ſeu Evangelium non ſunt figmenta ſed ſolida Scripturæ Sacræ ceu verbi Divini auctoritate nituntur. Sed nullibi originale inveniri Lucilius opponit. Verum tot millia exemplaria primo conſonan-

ſonantia poſſunt idem qvod primum valere. Et hæc uno tenore vocum conſonant in qvo miracula vera non aſtris ſed Deo Deiqve filio qvi Deus & homo eſt Sancto-qve Spiritui adſcribuntur. Non fuerunt olim tam ſtulti ut Lucilius cum ſuper eſſent adhuc exemplaria prima ad qvæ Chriſtiani audacter provocarunt qvod non feciſſent niſi â viris illis Divinis exarata fuiſſent. Revocamus Lectori benevolo in memoriam qvè c. I. §. 20. â Tertulliano ſcripta notavimus. Qvod ex altera vita nemo redux, qvæ ibi agantur, referat impiis, cauſam ipſe nobis Salvator noſter dixit animum eorum induratum nullis apparitionibus credentem Luc. XVI, 13. Non poteſt Lucilius cum Ethnicis Philoſophis percipere qvo modo ob lapſum Eva doloribus pariendi punita ſit cum & bruta partus doloribus afficiantur. Verum intellectus mulieris poſt lapſum adeo imminutus fuit ut non potuerit difficultati pariendi per media congrua contravenire. In mulieribus enim ante & poſt lapſum eadem pariendi ratio nec corpus muliebre aliter diſpoſitum fuiſſe per maledictionem commode dici poterit. Si vero qvisqvam dixerit eam poenam mulieris ceu calamitatem generalem in omnia fœminei ſexus animalia redundaſſe, nec iſti refragabimur. In humanis ſæpe poenis ad graviorem hominibus terrorem incutiendum malefici una cum iis qvibus in vita uſi ſunt damnum faciunt. Sic in crimine perduellionis filii fiunt infames, domus rei diruitur, ſolum ſale conſpergitur, inſignia & arma franguntur & hæc omnia non propter ipſorummet ſed parentum crimen. Si ob Adami peccatum divina maledictione cauſis naturalibus qvibus alias effecta terræ fertilitas foret illa vis influendi â Deo denagata fuit adeò ut nec homo ſolum ſed & beſtiæ loco ſaluberrimarum plantarum

rum frugumqve gratarum multis in locis ſterilia ſpatia gramine vacua multis qvoqve vepretis plena experiantur: non eſt mirum eundem Deum ex inflicta Evæ pœna aliqvid incommodi ad cætera animalia in partu redundare voluiſſe dum cauſis partui facilitatem inducentibus generalibus vim omnes dolores vincentem ademit. Qvanqvam diligentes naturæ indagatores deprehendunt plurima animantia non tantis urgeri doloribus qvantis mulieres affliguntur; uti nec tantum ex Adami prædicta pœna damnum qvam ipſe reſpectu cibi damnum capiunt. Non poteſt ignotum eſſe iis qvi Sacræ Scripturæ lectioni ſtudent Deum propter hominum ſcelera miſſo terræ diluvio nec ipſis terreſtribrus animalibus reliqvis peperciſſe Gen. VI, 17.

(a) Videatur illuſtris Boylii Tr. de ipſa Natura Sect. II, 14. Sturmii Philoſophia Eclectica in Exercitatione IX.

§. 27.

Qvid de Diabolis vel Angelis vere ſenſerit Lucilius his verbis patefecit: *Nulla ratio ſvadet dari Dæmones nec bonos nec malos, nec ſubter nec ſupra lunam. --- Humanus intellectus eas confingit.* (a) *Faſcinationes omnes ê vetularum tetris ſpiritibus ex ipſis effluentibus ſtatuit.* Cumqve Alexander oppoſuiſſet: At magi reperiuntur *juvenes nullis obnoxii langvoribus qvi alios faſcinare creduntur*, reſpondet Julius Cæſar: *Il credere è corteſia. Vi Dæmonum id effici nunqvam dixerim cum ſola religione mihi perſvaſum ſit eſſe Dæmones: ſed naturali potius facultati adſcribam.* (b) Qvantum vero religioni Philoſophus hic tribuerit, audimus ex reſponſione Alexandro data, qvi cum interrogaſſet. *Si Dæmones nulli ſunt qvomodo Magi Pharaonis tot mirabilia fecerunt?* Julius Cæſar hanc reſponſionem dedit: *Philoſophi qvi negant Dæmones,*

mones ſacros Hebræorum hiſtorias contemnunt. Cardanus dixit veriſimile eſſe, ut illi impoſtores vehementiſſime ranas appetentes conſimilem ſaporem in ſaliva reddiderint, qvæ in terra projecta produxerit ranunculas. Si enim aqvæ guttam æſtivali tempore ranam gignere videmus cur non & ſaliva ab animæ potentiis adjuta? (c) Hinc de Dæmonibus extraneas lingvas loqventibus hanc fert ſententiam Vaninus, iſta, inqviens, Philoſophabor: *Mens humana omnium rerum ſcientiam, omnium lingvarum notitiam in ſe complectitur eſt enim cœleſtis originis & divinitatis particeps: at corporis mole oppreſſa inſitas vires palam non exſerit & veluti ignis cineribus obductus exſuſcitari poſtulat, ita excitari debent ingenii noſtri igniculi ut denſis humoribus diſcuſſis eluceſcant, qvare ſcire noſtrum reminiſci eſt apud Platonem. Alexander reſpondet: Scio ſed qvid concludis? Jul. Cæſ. Ubi ferventiſſima fit humorum ebullitio vehemens qvoqve Spirituum agitatio ſubſeqvitur, qvare concitatiſſimo motu ad cerebrum delati peregrini idiomatis notitiam qvæ in eo latebat, qvodammodo extorqvent non ſecus qvam ex ſilicis colliſione emicantes ſcintillas elici videmus. Mira narras. Jul. Cæſ. Nonne ſub æſtivo ſydere qvotidianis conſtat experimentis, æſtuoſa febre correptos extranei idiomatis voces edere? generoſum, meraciſſimumqve vinum affluenter hauſtum, homines qvamlibet ſtupidos, diſertos reddit, qvod notavit Horatius cum ſcripſit: Fœcundi calices qvem non fecere diſertum. Sic in Thraciæ regione aditus erat Libero ſacer ex qvo vaticinia & oracula reddi ſolebant. At ejus Templi Antiſtites non niſi vino affatim epoto res peragebant. Acuit ſane mentem vini calor ſopitosqve ſpiritus expergefacit, qvi in cerebrum delati, qvæ in ejus latebris voces deliteſcunt, in apertum proferunt. Qvapropter apoſtolos va-*

riis

riis lingvis loqventes veteres Philoſophi cum exciperent ebrios temere dixerunt ut D. Lucas his teſtatur verbis: Alii irridebant eos dicentes qvia muſto pleni ſunt. (d)

(a) Dial. 56. p. 427. (b) p. 472. (c] Dial. 59. p. 480. (d] Dial. 54. p. 408.

§. 28.

Licet â priori ratio non poſſit demonſtrare qvod ſint mali Spiritus â poſteriori tamen dum certas voces Magi audiunt Deo & animabus inconvenientes formasqve vident ipſas Perſonarum qvæ eas proferunt effectusqve ultra animarum potentiam contingentes edunt, qvalia ſunt tempeſtates, terrarum ſterilitates, variarum lingvarum qvibus Deum horrendum execrantur ſcientia; hæc omnia ſimul ſumta inferunt ipſis etiam Ethnicis de animarum immortalitate ex natura omnino dubiis firmam opinionem, non eſſe animas ſolum ſed potentiores Spiritus Deo inimicos qvi ejusmodi res efficiunt. Verum ſi damus omnino impio homini nullam rationem nec eam qvidem ſvadentem (qvod falſum) Dæmones; interim ſumus eorum ê ſacris literis certiſſimi: Eph. VI, 12. Joh. IIX, 44. 1. Petr. V, 8. Judæ. v. 6. Neqve eo magis ſeqvitur: Nulla ratio ſvadet dari Dæmones ergo nulli ſunt. Qvod non ſvadet ratio perſvadet divina revelatio. Magos reperiri juvenes non ſinunt nos dubitare qvi de pueris & puellis incantationibus certos effectus qvosdam præter naturam producentibus ſcripſerunt Hiſtorici, qvi ſane teſtes ſæpe oculati plus fidei merentur ac Lucilius. Si omnes tum ſacras tum profanas de Magis hiſtorias contemſerimus, nulli amplius relationi fidem habebimus omnia credentes falſa qvæ nec vidimus ipſi nec Magiam exercentes experti ſumus, id qvod non tantum ſummæ levitatis ſed & impietatis

eſſe

esse nemo non animadvertit. Sed Magorum artes in Ægypto saliva effectas causatur Italus argumento ridiculo: Si aqvæ gutta videmus ranam gigni naturali nempe causarum concursu, seminis nempe ranarum, guttæ inhærentis, solis calefacientis aliarumqve; ergo & ex saliva Magorum poterat nasci rana cui nulla ranarum semina inhærebant, imo qvi centies licet salivam evomentes non leviſſimos pediculos producere poterant, illi sola imaginationis medio saliva poterant procreare ranas & reliqva mirabilia & ipsos pediculos. Non est hoc argumentum tanto dignum qvantum se venditat Philosophum. Si saliva hominis materia est omni formæ recipiendæ apta qvam imprimit animæ potentia, qvin omnes intendit animæ suæ potentias Lucilius ut ex illa sibi aurum progeneraret. Nam istoc, ut dicit, tenuiter admodum seminatus ipsi agellus fuit. Si mens humana omnium rerum scientiam in se complecteretur vehementiqve spirituum agitatione sola & fervore, id qvod habuisse nunqvam recordari potest & nescit, in seipsa tamen resuscitare posset; non tanta cultoribus literarum industria in addiscendis lingvis opus foret sed poculis vini largiter exhaustis. Qvo sane, hoc seculo in excogitanda studiorum methodo facili magnopere laborante nullum jucundius medium inveniri posset. Sed num qvisqvam visus homo est, qvi se bibendo sapientem reddiderit? æstuosa febri correptos interdum qvasdam voces lingvæ peregrinas qvas ipsi non intelligunt formare, adeo non mirandum, ut potius in tanta sermonum varietate mirum esset si operosa lingva ne unam qvidem vocem, qva alii populi animi sensa explicant, inscia mente moliretur. Sed exinde qvis tam stolidus esset, ut concluderet, hos homines illum sermonem cujus hodie duas vel tres voces

ediderunt mente qvoqve capere. Dæmoniaci vere tales ceſſante paroxyſmo, qvæſiti de verbis prolatis fatentur ſe nec intelligere iſta nec prolocutos eſſe ſed vim iſtam cui lingvà coacta conceſſit, qvam illi Deo adverſariam, uti mente aliam â ſemet cognitam ita voluntate averſantur, Qvid ergo nos qvi oculis ſæpe videmus illos ad alias exteriores actiones ab alia Dæmonis vi impelli, hæc opera interiora ipſorum menti adſcribemus qvæ ipſi graviter negant ſuimet optime conſcii? Animam hominis non ê terra ſed â Deo ſolo creatam ſcimus ſed eam eſſe partem eſſentiæ divinæ, cum divinitas dividi non poſſit, ad deliria Ethnicorum, ſententiam merito proſcribimus. In Thraciæ regione Bacchum colentes Ethnici non vaticinii ergo ſed in honorem Liberi qvod vitem primus plantaſſet vinum in ſacris adhibuerunt. Et licet ob artem expedite vaticinandi id feciſſent nihil hoc ad ſanctorum virorum ſcientiam variis lingvis eloqvia Dei explicandi, qvos non veteres Philoſophi tum temporis ſed de fece vulgi homines improbi ebrios dixerunt, neqve ea de cauſa qvia variis lingvis loqvebantur ſed ob exteriorem vultus habitum. Nam qvæ igneæ Spiritus Sancti calore videbantur lingvæ non erant ſine ſingulari vigore vultus genarumqve calore florente, magnaqve animi lætia, cum habitu corporis vario nunc exſilientium præ gaudio, nunc flexis genibus gratias Deo agentium nunc prætereuntes magna animi libertate alloqventium iisqve paſſionem & mortem Meſſiæ conſummatam annunciantium, qvæ cum ſoleant notari in iis qvi torpentem vino triſtitiam abluerunt, â ſimplicibus ejusdem notæ homines eſſe viſi ſunt. Ita dum interiores animi dotes brevi acceptas prudentes mirabantur imperiti exterioribus corporis geſtibus inhærentes ebrios hos declaraverunt.

§. 29.

§. 29.

Mortuorum reſurrectionem qvam Ethnici & inprimis Plato propugnarunt Phæreum Pamphilum dum retulit inter eos qvi in acie ceciderant decem diebus jacuiſſe biduoqve poſtqvam ſublatus eſſet, rogo impoſitum ſupervixiſſe irridet dicens: *Lucianus reſponderet fabuloſas eſſe has narratiunculas â mendacibus Græculis excogitatas & ab Hypocriticis Platonicis ſanctitatis fuco depictas: Sane Plato, inqvit, eo loci Socratem plebem inſtruentem confingit. Alexander regerit: Plato pro animorum immortalitate adverſus complures Philoſophos dimicavit: Jul. Cæſ. Etiam aviculæ hujus animulam ab interitu vindicabat Al: Socrates fuit vir integerrimus Jul. Cæſ. Ipſe poſteros docuit expedire reipublicæ ut plebs confictis prodigiis in religione decipiatur. Al: Imo in Deorum deteſtationem pro veritatis tutela mori non dubitavit Jul. Cæſ. Ita eſt: at non pro religionis Zelo, ſed ut contumeliam effugeret, riſui namqve ſe expoſuiſſet ſi in illo conſtantiæ & fortitudinis ſeculo ob pœnarum formidinem ab incepto deſiſtere voluiſſet. Et fortaſſis Athenienſes inqviſitores ejus palinodiam non admiſerunt Al: alia tibi excogitanda ratio eſt Jul. Cæſ. Superſtitioſorum hominum opinioni qvi ad Dæmones hæc referunt non ſubſcribam donec adeſſe Dæmones naturali ratione mihi probaverint.* Hic ineo ſudat, Philoſophos, ut probet, non credidiſſe ſed finxiſſe mortuorum reſurrectionem. Sed tandem hos apoplexia correptos dicit qvorum ſymptomata efficiuntur ſæviora cum vel luna impleri vel inchoari incipit. *Nam humida corpora ciboqve & cælo utentes humido huic malo ſunt magis opportuni, hinc videmus impuberes & mulieres potiſſimum infeſtari qvos derelinqvere ſolet circa annum qvintum & vigeſimum qvia tunc augeſcit calor nativus*

qvi ſiccius temperamentum inducit qvare non mirum (ô Alexander) *ſi horum ſymptomata gravius invaleſcant ubi luna impletur vel incoatur, tunc enim humores maxime redundere conſtat.* Sed mortuorum reſurrectio eſt articulus fidei purus adeoqve ê natura non demonſtratur. Sed inde non infertur: Ergo nulla eſt. Probatur Job. XIX. 25. 26. 27. 1. Theſſ. IV, 16. 17. Joh. V, 25 - 29.

§. 30.

In voluntatem humanam etiam cœleſtia corpora agere, ubi negarat Alexander in materiata inferiora vim ipſis concedens, in ſpiritualia & voluntatem negans: Julius ita diſputat: *Hic ego non dicam ineptiſſime ſpirituale materiali opponi cum ſpirituale â ſpirando dicatur, ſpiratio autem materiæ expers non ſit: nec cum Platone ſpiritum appellabo materiam calore perfuſam, ignem vel calorem: Nec Stoicis aſſentior qvi ſpiritum ex ſplendida perſpicua, non adſpectabili tamen ſubſtantia conſtare prodiderunt. Multo minus Ariſtoteli ſubſcribere mihi religio ſvadet, qvi ſpiritum aliqvando nominavit calidum atqve naturalem calorem & in ſpumoſo ſemine ſpiritum contineri dixit. Non Medicorum veſtigia ſeqvar, qvi ita definiunt ſpiritum: Eſt Spiritus Corpus æthereum, caloris facultatumqve & vinculum primumqve obeundæ functionis inſtrumentum. Neqve Hippocratis adhæreo ſententiæ qvi ſpiritum dixit nuncupari qvia ob materiæ tenuitatem oculorum effugit obtutum qvemadmodum & aër & ventus Spiritus dici conſveverunt, qvia ſub adſpectum non cadunt etſi materia præditi ſint. His, inqvam, reſponſionibus prætermiſſis aſſero voluntatem nihil operari niſi prævia intellectus conſultatione, nihil autem eſt in intellectu qvod prius in ſenſu non fuerit, ſenſus autem cœleſtibus corporibus eſt obnoxius.* (a) Hic innuere videtur Lucilius

lius materiam non ſpiritum animam humanam qvod facile ſpiritualibus intellectus & voluntatis actionibus refellitur. Nihil eſſe in intellectu qvin antea in ſenſu fuerit exploſa hodiernis Philoſophis opinio & omnibus rebus qvæ ſub ſenſum non cadunt, Deo, Angelis, mentibus aliisqve nullo negotio diluitur. De animarum inſuper rogatus immortalitate ſententiam dicere ita detrectat ut eam eſſe ſenum qvi vivere ulterius exoptant cum non poſſint; & divitum qvi genialibus diebus libenter perpetuo fruuntur qvorum dulcedinem in hac vita experti ſunt. Imo Germanorum eſſe credulorum dicit qvos miſer ille ſcientiæ ſuæ oſtentator ſtultiſſimarumqve nugarum patronus ideo ſuperſtitioſos forte putavit, qvia non tantæ levitatis ſunt ut divina dogmata de anima poſt mortem ſuperſtite cum ipſo negent. Verba qvibus utitur ſunt ſeqventia: *Alexander: Qvæſo, mi juli, tuam mihi de animæ immortalitate ſententiam explices. Jul. Caſ. Excuſatum me habeas rogo. Al: cur ita? J.C. Vovi Deo meo qvæſtionem hanc non pertractaturum antequam ſenex dives & Germanus fuero.* (a) Animas vero poſt mortem ſuperſtites verbum Dei eloqvitur. Matth. X, 28. Luc. XXIII, 46. Apoc. XIV, 13.

(a) Dial. 57. p. 346. [b] Dial. 57. p. 492.

§. 31.

In fine libri qveritur de incerto ſcientiarum & Agrippæ libro de ſcientiarum vanitate ſubſcribere cupit. Alexandro vero laudanti qvod ſcriptis ſuis poſt mortem æternitati ſtuduerit, fluctuans inter Atheorum ſuperſtitioſorum fideliumqve ſententiam hoc modo reſpondet: *Si animus meus, ut Athei fingunt, evaneſcit, qvas ille ex fama poſt obitum delicias nanciſci poterit? forſitan gloriolæ voculis etfidiculis ad cadaveris domicilium*

cilium pertrahetur? Si animus ut credimus libenter & ſperamus, interitui non eſt obnoxius & ad ſuperos evolabit, tot ibi perfruetur cupediis & voluptatibus ut illuſtres ac ſplendidas mundi pompas & laudationes nec pili faciat. Si ad purgatorias flammas deſcendet gratior ei erit illius orationis: Dies iræ, dies illa: mulierculis gratisſimæ recitatio qvam omnes Tulliani floſculi dicendiqve lepores qvam ſubtiliſſimæ & bene divinæ Ariſtotelis ratiocinationes. Si Tartareo (qvod DEus avertat) perpetuo carceri emancipatur, nullum ibi ſalatium nullam redemtionem inveniet. Tandem Alexandro exoptanti has adoleſcentiæ limine rationes excepiſſe, hoc proponit Julius Cæſar ſolatium: *Præterita mala ne cogites futura ne cures, præſentia fugias.* Singulis tandem rebus qvas in hoc libro ſcripſerat Paulo V. Pontifici ſubjectis, ita ut pro non dictis haberentur ſi qvæ res forſitan eſſent qvod vix crediderit, qvæ illius placitis ad amuſſim non conſentirent; laxaturus animum luſorias tabellas ſibi adferendas jubet. (a)

[a) Dial. ult. p. 494. 495.

Cap. IV.

LUcilius Atheus theoreticus & practicus §. 1. Simulator §. 2. Proditor ſui §. 3 - 4. accuſatus §. 5. abſolutus §. 6 - 7. iterum accuſatus §. 8. in vincula conjectus §. 9. auditus §. 10. damnatus §. 11 - 12. occiſus §. 13.

§. 1.

HÆc ſunt qvæ in hoc libro de fide Vanini contenta præter alia non annotata invenimus, qvibus Grammondi teſtimonium accedit qvo illi in irriſum ſacra & religioſa fuiſſe, Chriſti humanitatem execratum eſſe,

esse, Deum ignorasse, sorte omnia fieri existimasse dicit. (a) Cui qvidem resti potissimum credi potest dum ipse suis oculis Lucilium vitæqve finem contemplatus, sæpe collocutus cum libero est & postqvam vinculis tenebatur. Hic vero voluptatum sectatorem avidum flagitiosumqve in libertate expertus. (b) Imo ipse Vaninus iratæ amasiæ semet excusasse refert qvod siniſtrum ocellum vocitasset. Nec eodem momento sed indies magis deflexit in damnosum hunc errorem antea rectius sentiens. (d) Grammondus qvoqve spatio ad pœnitendum dato speravit ad saniora reduci hunc potuisse dum breve tempus maleficis apud Gallos ad pœnitentiam qvod lata sententia conceditur laudando Germanorum mores, culpat. Nam si forte dubius adhuc inter veritatem & falsam persvasionem hæsit homo superbus occupante animum ira atqve ignominiosæ mortis dolore facile rectiorem de Deo sententiam impotens animi damnavit.

(a) Grammond. Hist. Gall. ad Anno 1619. p. 212. l. 3.

[b] idem. Vidi ego in custodia, vidi in patibulo, videram anteqvam subiret vincula, flagitiosus in libertate & voluptatum sectator avidus, in carcere Catholicus in extremis omni Philosophiæ præsidio destitutus amens moritur. ibidem.

[c) Hinc venit mihi in mentem subiratam semel mihi fuisse Isabellam amasiam meam qvod in qvadam cupidinea cantiuncula siniſtrum meum oculum illam appellassem. At est siniſter dextro longe nobilior dial. 46. p. 298.

(d) Cum Theologiæ operam darem, censui Dæmonem in cæco & claudo aliqvas opposuisse obices qvo minus ille videret hic obambularet, ut cum postea coram toto populo ad Vespasiani preces impedire desierit pro miraculo haberetur atqve ita plebs in idololatria persistens in interitum rueret. Nunc alitur censeo. Nondum hinc patet tum temporis omnem de Diabolis persvasionem animo expulisse. De Arcan. dial. 57. p. 441.

§. 2.

Interim nihil certius de religione Vanini habetur nisi qvod ê fine vitæ elucet qvo qvis fuerit in oculis omnium manifestare voluit. Nam in ipsis carceribus, qvibus occlusus tenebatur impietatem dissimulaverat adeo ut multis non mali dixisse qvidqvam de DEO & â malevolis ad inqvisitores iniqve delatus putaretur. Sed falso: nam qvid de Deo senserit ultima mortis hora aperuit qvare ad eandem describendam properabimus.

§. 3.

Lucilius edito in vulgus libro pro stabilienda religione & cultu veri Dei ratus qvicqvid postea dixisset ab accusatoribus tutum fore disciplinæ suæ alumnis qvas vana eruditionis ostentatione sibi attraxerat, qvis sit aperit primum qvidem qvæstionibus veritatem incautis dubiam reddiderat, non ita multo post singula qvoqve divinarum rerum fundamenta levi conatu subruturum promittit. Si uniqvam natura novitatis avida certe injuvenili ætate est præsertim cum qvid spectandi datur occasio cujus obtutu liberior in diem vivendi modus stabilitur. Ergo hi, ut viderunt hominem tam facilem in tradendis iis qvibus cura sanctioris doctrinæ vitæqve severioris extirparetur animo humano, avide hauserunt præcepta ejus vere liberos postea se fore arbitrati, qvippe solutos iis legibus qvibus ephebis excedentes in arctiores limites coercerentur. Sed nec ulla res imprudentius custoditur silentio, qvam qvæcupiditatem gloriæ alit & licentiæ in juvenibus. Itaqve per eosdem ipse primus arcanorum suorum proditor extitit.

§. 4. Su-

§. 4.

Suſpectum qvidem antea ſe reddiderat prudentioribus libello iſto qvem de Arcanis Naturæ inſcripſerat. Sed cum Romano Pontifici ejusqve arbitrio cuncta ſubjeciſſet, non ſcriptorum velle numero haberi cenſens qvæcunqve diſplicerent illi & approbantibus omnia qvibus cenſura librorum erat commiſſa, nemo auſus eſt adverſus verba facere. Interim commodum tempus expectandum putaverunt qvo exiſſet in vulgus qvid ſub pectore volviſſet ſcripto libro qvi tantum divino numini derogaret. Neqve fefellit opinio ad ſermones & ſtudia auctoris animum cautiſſime advertentibus.

§. 5.

Interea temporis Franconus qvidam non ignobilis genere, in cujus colloqvium Vaninus ſæpe cum aliis convenerat crebri ſermonis impatiens qvem toties cecideranr, altero Deum eſſe altero non eſſe ex adverſa parte diſputantibus adire magiſtratum ſtatuit eamqve rem deferre qvippe tam gravem divinitatis hoſtem non ferendum judicaverat. Cujus rei exeqvendæ commoda ipſi oblata fuit occaſio qvando jam non pauci nec clandeſtinis ſed publicis accuſationibus aurem ipſi vellicarent.

§. 6.

Rapitur in jus impietatis extremæ propagator & cauſam dicere juſſus cujus religionis eſſet & qvare juvenes damnoſis erroribus ſuis corrumperet, Romanam fidem profeſſus eſt nec qvicqvam docuiſſe ſibi deditos qvod vel maximo Pontifici vel cœtui Chriſtianorum univerſo vel ipſi ætati teneriori nocere ullo modo poſſet. Rumorem â rudibus literarum ſparſum qvibus nihil verum niſi qvod adeo pervulgatum eſſet ut omnium ore traduceretur. Fateri ſe qvidem nonnulla ſuis deguſtan-

da propoſuiſſe qvæ ab Atheis objici potuiſſent ſed his de cauſis ſolummodo feciſſe ut inſtructos redderet ad refellanda eorundem profana dogmata, levitatemqve argumentorum clarius qvam vidiſſent, ante, demonſtraret, id & eodem volumine factum eſſe ubi contra omnes Philoſophos Gentiles diſſeruiſſet. Sic eluſa eorum teſtificatione ambigua, in vincula conjectus ſenatus conſulto dimittebatur.

§. 7.

Huic ut diſcendi copia facta eſt revocabatur animus non ſolum de innocentia glorioſe loqvendi ſed & ipſo qvo inceperat ſtudio pergendi nemine contranitente adeo ut peſtilentiſſimus error hoc duce Toluſæ impune graſſaretur. Tum Franconus qvo ante uſus erat familiariter coram Magiſtratu ſe ſtatuit rogitans, diem diceret Lucilio qvi Deum mundi rectorem multoties ore negaſſet ſeqve ea de re teſtem condicta die citarent. Hæc cum dixiſſet Franconus vir nobilitate & auctoritate præ cæteris conſpicuus fidem fecit cunctantibus in Senatu. Nec mora eſt, Lucilius cum omni ſupellectile capitur.

§. 8.

In qva viſus eſt immanis bufo aqvis fuſis vivus innatans qvem aluerat cryſtallino incluſum more veneficorum. Infames Magorum artes & veneficium exprobrantibus reſpondet bufone vivo præſentiſſimum lethali ê peſte malo vel veneno infectis remedium parari ſi ad ignem liqvefactus animam exſpiraret. Sed nullus ſimulationi locus fuit cum Franconus proceſſit in medium ipſumqve crimine negatæ divinitatis reum arguit tempore locoqve imo verbis qvibus elocutus erat ſimul indicatis, omnia jurejurendo confirmat. Lucilius cuncta negare qveri de injuria qvam facerent ſibi, judicio ſemel abſo-

absolutum veteremqve sententiam novata lite violari; nihil non agere qvo difficili causa honesto modo se extricaret.

§. 9.

Sed testimonio discipulorum convictus in vincula conjectus est. Hic qvoqve fraudis suæ non oblitus simulavit summa religione se Deum colere continuis redemtorem precibus qvem nullum credebat de cœlo in sui liberationem sibi deposcens cœnam præterea solennem testamento Christi sacratam sæpe libabat in speciem pietatis efflagitatam â Magistratu seu qvod minuendæ pœnæ seu qvod condonandæ spes vitæsupereſſet. Et sane totum semestre in protracta lite consumtum est, qvo ipso non videtur nondum satis detecto crimine causa cecidisse vel injuria affectus esse ex sententia judicis celeriter pronunciata.

§. 10.

Sententiam suam rogatus de Deo dicere: Ego inqvit, in trinitate unum colo qvalem adorat orthodoxa Ecclesia Deum enim ut credamus esse, natura ipsa persvademur & qvo se felicius suspicione liberaret sublatam de terra qvæ forte ceciderat paleam protensa ad judices manu hæc inqvit leviſſima, me palea movet ut Deum esse firmiter animo inducam. Sic enim divina providentia in condito mundo ordinem rerum perpetua viciſſitudine statuminavit *ut jactum in terra semen elanguisse principio videatur & mori. Sed paulo post ex putrefacto albescit viret, nascitur, sensimqve crescit. Qvæ vis est & qvanta Dei in ipsa generatione stipulæ! Qvæ sic procreata ut adolescit rore matutino, ut luxuriat infusa largius de super aqva, ut in aristas armatur prohibendis perspicula avibus, ut in stipulam erigitur & frondescit, ut*

flavescit, demissoqve ut supercilio langvet, donec moritur; ut posẽ commodum tempus trituratur, separatoqve, ut â palea fructu, grano homo, palea vivunt animantes usui hominum debitæ: (a) Qvod si qvisqvam sanæ mentis accuratius considerat Deum patere videt motorem rerum inspecies miræ varietatis transeuntium. Nec id solam naturam hujus universi majore vi destitutam efficere posse sic facile probatum dabimus. *Si id seminis natura produxit, qvis immediate proximum? Si & illi debita ex natura processio, qvis antecedens donec ad primum veniamus regrediendum est, qvod necessarium est fuisse creatum, cum non sit â qvo produceretur. Natura vero creationis incapax ut multis probatum dare possumus: ergo Deus est creator omnium.* (b) Sic tum temporis sat sobrie Philosophum egit Lucilius & si actæ prius vitæ testes defuissent, nondum desperata salus omnino videbatur.

(a) Videatur Grammondus loco citato, cujus fere verba retinuimus qvia ore rei excepta videntur. (b] idem ibid.

§. II.

Sententia judicis tandem prolata qva Lucilius ob crimen magicarum artium & impiæ doctrinæ adrogum damnabatur, statim currui impositus in locum supplicii vectus est. Tum demum Vaninus animum subtracta pietatis larva conspiciendum præbuit. Nulla commissorum nisi qvod detecta essent, nec sera pœnitentia subiit reum, nullæ ad Deum preces pro condonanda pœna vel impetranda salute vel in ultionem sibi factæ injuriæ fundebantur. Erant qvi more consveto & judices & Regem ipsumqve Deum delicti veniam rogare svadebant infernis supplicia pœnis continuanda minitati. Sed poscentibus hæc ipsa judicibus audacter respondens, negavit se facturum: *nonâ Deo gratiam posse expetere qvandoqvidem*

dem ipſe nullum crederet: non â Rege, qvod nihil in eum peccaſſet, imo nullum ſe fideliorem ſubditum idem habuiſſet: non â judicibus qvod in eos non peccaſſet & illi ipſum magna injuria afficerent. [a)

(a) Gisbert; Voët: de Atheiſmo: P. I. P. 4. p. 147.

§. 12.

Sic abreptus ad ſupplicium cum invia eſſet ſolitariam clauſtro vitam degens qvidam ex miſericordiæ fratribus crucem ipſi præmonſtrabat crucifixum pro ſalute ſua in memoriam revocaturus. Qvam, ut vidit, averſatus eſt & majore ſe mortem conſtantia qvam ipſe Chriſtus oppetere jactitans, *imbellis*, inqvit, *ſudor eſt qvem illi timor elicuit ego imperterritus morior.* Et licet omnes voces anxio pectore emoliretur magna tamen oris ferocia triſtiqve adſpectu *philoſophice ſe mori* itentidem inclamavit. Qvam animi feritatem Mercurius Gallicus accurate qvoqve his verbis deſcribit: *Au Mois de Novembre de l'an paſſé fut arrêté priſonnier en la ville de Toloufe un Italien, Philoſophe & grandement docte, qvi allant montrer par les logis aux enfans de maiſon qvi deſiroient ſçavoir parfaitement la Philoſophie. Il ſoutenoit & enſeignoit, qve nos corps étoient ſansame & qve mourant tout étoit mort pour nous ainſi qve les bêtes brutales: qve la vierge (ô blaſpheme execrable) avoit eu cognoiſſance charnelle comme les autres femmes & d' autres mots bien plus ſcandaleux du tout indignes d' ecrire ny de reciter. Parſon eloqvence il gliſſoit tellement ſa pernicieuſe opinion dans l' entendement de ſes auditeurs particuliers qv' ils commencerent à balancer en la croyance de cette fauſſe doctrine. Ce qv' etant venu à la connoiſſance du Parlement, il decreta contre ce nouveau miniſtre. Et étant pris & interrogé il ſoutint ſes inſtructions veritables. Sur qvoy ſon*

proces

proces fut fait & l' arreſt donné portant condemnation de faire amende honorable nud en chemiſe, la torche au poing & trainé ſur une claye la langve coupée & brulé vif ce qvi fut executé au commencement de Fevrier au lieu appellé la place du Salin. Il mourut avec autant de conſtance, de patience & de devolonté qv' aucun autre homme qve l' on ait veu. Car ſortant de la Conciergerie comme joyeux & allegre il prononca ces mots en Italien: Allons, allons allegrement mourir en Philoſophe. Mais bien plus pour montrer ſa conſtance en la mort, & un deſeſpoir en l' ame, lorsqve l' on luy dit qv' il criât mercy à Dieu, il dit ces mots en preſence de mille perſonnes: Il n' ya ny Dieu ny Diable, car ſ' il y avoit un Dieu je le prierois de lancer un foudre ſur le Parlement comme de tout injuſte & iniqve & ſ' il y avoit un Diable, je le prierois auſſi de l' engloutir aux lieux ſous-terrains: mais parceqv' il n' ya ni l' un ni l' autre je n' en feray rien. (a)

(a) Mercurius Gallicus tom. V. ad Anno 1619. p. 63. 64.

§. 13.

Ad locum ſupplicii ubi perventum eſt lingvam protendere juſſus ut ferro prius exſecaretur anteqvam perpetereretur extrema, eousqve id recuſavit donec forcipum vi extractam infami cultro diſcerperet carnifex. Qvam miſera conſolatrix Philoſophia tum ipſi fuerit apparet ex horrendo mugitu edito qvo cum lingva dicacitatem eructavit. Corporis reliqvias ignis ſubjectus exuſſit, cineres in aërem ſparſi ſunt ut qvi in terra indignus vita eſſet nec mortuus in ea acqvieſceret. Sic Lucilius in libertate Atheus, in carcere Chriſtianus, â carceribus ad carnificinam ut Philoſophus,

ſua

ſua ſe ſapientia Conſolans, in morte demens omniqve ſolatio deſtitutus vitam exuit anno ætatis tertio & trigeſimo vitæ ſuæ. Nec ſupereſt qvod metuat niſi judicium ſummi judicis qvi neminem invidia damnat omniumqve actiones æqva juſticiæ lance penſitat cuiqve ut æqvum eſt vel meritam abnegatæ divinitatis poenam vel ſuperans aſſertæ merita præmium, euge qvam pretioſum! exſoluturus.

DEO TRINO ET UNI
SOLI VERO
GLORIA.

100501169